LIBER

DE CONSCRIBENDIS EPISTOLIS, AC

de progymnasmatis, seu præexercitationibus Oratorijs cum singulis tum cuiusque generis Epistolarum, tum singulorum progymnasmatum exemplaribus.

Auctore Bartholomæo Brauo è societate Iesu.





Cum Priuilegio ad decennium.

SEGOVIAE,

Excudebat Petrus Rhemensis.

M. D. XCI.

EGo AEgidius Gonzalez Dauila Prouinciarũ societatis Iesu Toleti, & Castellæ Visitator, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua Præposito nostro Generali, facultatem concedo Patri Bartholomæo Brauo eiusdem Societatis, vt typis mandare possit librum de Conscribendis Epistolis, ac Præexercitationibus Oratorijs. In quorum fidẽ has litteras manu nostra sub scriptas, sigilloque nostro munitas dedimus Segouiæ vigesimo octauo die Augusti anni 1590.

AEgidius Gonzalez.

Librum de conscribẽdis Epistolis, & de Praeexercitationibus Oratorijs, auctore Patre Bartholomaeo Brauo è Societate Iesu ex supremi Senatus iussu diligenter vidi, & accuratè perlegi, nihilque in illo est, quod vel Catholicae religioni, & communi omniũ vtilitati videatur obsistere: vel quod nõ possit humanarum literarum studio insudantibus maximoperè prodesse. In conuentu D. Philippi Ordinis D. Augustini. Matriti Anno 1590. die verò 16. mensis Maij.

Fr. Gabr. Pinelo.

Summa del Priuilegio.

Dio Priuilegio el Rey Don Philippe nuestro Señor al Padre Bartholome Brauo de la Cõpañia de Iesus, paraq̃ por espacio de diez años nadie sin su licencia pueda imprimir, ni vender el libro de Conscribendis Epistolis, & de Praeexercitationibus Oratorijs, so pena de perder la impressiõ que hiziere con los moldes, y aparejos della: y mas incurrir en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere. En el Aranjuez a 19. dias del mes de Mayo de 1590. años, ante el secretario Iuan Vazquez.

IN LIBRVM DE CONSCRIBENDIS EPISTOLIS,

PROOEMIVM.



Pistolas conscribendi facultas quanti momenti sit, ipse earum quotidianus vsus satis ostẽdit. Litterarum enim bono cum absentibus loquimur, res nostras cum illis communicamus, nostros quibus volumus intimos animi sensus aperimus: ac denique quod ipsius vocis, ac linguæ munere præstare non possumus, id ipsarũ beneficio consequimur. Adde, quod hoc scribendi genus eiusmodi quidem est, in quo cuiusque prudentia, atque ingenium maximè cernitur. Cùm enim Epistola breuitatẽ amet, habet hoc omnino, vt si quidem inanis, contemnẽda planè sit; si verò aptis sententijs, commodisque conspersa, eò magis scribentis ingenium, prudẽtiamque commẽdet, quò plura paucioribus commodè, eleganterque dicantur. Itaque qui eloquentiæ stu-

tiæ ſtuduerunt, ſeque ad ſcribendi ſtudium contulerunt, non minus in hoc genere, quàm in quouis alio ſibi elaborandum exiſtimarunt. Qua tota de re & ſi multa quidem à multis præcepta traduntur, nos tamen ex multis pauca collegimus; ſed quæ ad id ipſum, quod propoſitum eſt, aſſequendum, ſatis eſſe videantur. Cùm præſertim hunc laborem præcepta colligendi, quantuluſcũque ille eſt, puerorum, atque adoleſcentum præcipuè cauſa ſuſceperimus; quos non tã præceptis obruendos, quàm inſtruendos, iuuandoſque putauimus. Ergo poſtquã pueri Grãmaticæ artis fundamẽta iecerint, atque octo eius partium conſtructionem probè cognouerint, cùm iam ad ſtylum videãtur idonei; tum nulla ratione vtiliùs, atque commodiùs primum ad eloquentiam gradum facient, quàm conſcribendis Epiſtolis vario, atque diſsimili à præceptoribus argumento propoſito acerrimè ingenium exerceãt. Vbi iam non ſolùm de recta ipſarum partium orationis conſtructione, ſed de ſingulorum

etiam verborũ proprietate, atque elegantia, sententiarũq; concinnitate laboret. Atque ita vt nullum omnino verbum in oratione ponant, cuius vsum vel Ciceronis auctoritate, vel classici alicuius auctoris comprobare non possint; vel certè ab optimo, atque eleganti præceptore audier nt vsurpari. Quòd si pari & præceptoris industria, & puerorum cura, atque studio hic labor suscipiatur, dubium non est, qu n magno cum fructu breui quidem tempore, ad Oratorias exercitatio nes pueri, orationesque componendas tradu ci possint. Nos verò vt & præceptorum iu uaremus industriam, & puerorum laborem minueremus, singula cuiusque generis Epistolarum exempiaria præceptis ipsis adiecimus: quarum eiusmodi argumenta confinximus, quæ ipsi pueri faciiè perciperent, quibusque ad eiusmodi alia ex cogitanda iuuarentur.



DE

DE CONSCRIBENDIS EPISTOLIS BREVIA QVAEDAM PRAECEPTA.

Quot ſint Epiſtolarum genera. Cap. I.



T ſi Epiſtolarum genera multa ſunt, tamen ad duo quædã capita referri poſſunt: quorum alterum morale, negotiale alterum appellari liceat. Quidquid enim Epiſtolis tractari ſolet, id profectò vel à negotio ducitur, vel ab officio. Negotiales igitur Epiſtolas dicemus eas, quę negotium continent: vt quę aut de noſtrarum rerũ, aut alienarum, aut ipſius denique Reipub. ſtatu eos, ad quos mittũtur certiores faciunt. Ad quod genus illæ quoq; referri poſſunt, in quibus de re aliqua aut quæritur, aut diſputatur. Tunc enim conſulentis, ac deliberantis negotium

agitur; ſiue cùm ille ſapientes viros per litteras conſulit; ſiue cùm hi interrogati reſpondẽt. Morales verò eas appellabimus Epiſtolas, quæ nõ à negotio, ſed omnino ab officio materiam petunt: quibus aut beneuolentiæ, & amoris, aut humanitatis, aut alicuius deniq; virtutis ſignificandæ cauſa multùm vti, frequenterque ſolemus. Tertium quoddã genus ex vtroque mixtũ reperitur: cùm cauſæ, ſcilicet, quæ nos ad ſcribendum adduxerũt, partim morales ſunt, partim negotiales; quæ quia raró euenit, vt ęquê graues ſint, quę res in Epiſtola plus habebit ponderis, eadem ei nomen tribuet. Neque verò longitudo ſpectãda eſt, vt vtra Epiſtolæ pars pluribus tractetur, inde Epiſtola nomen accipiat: ſæpe enim fiet, vt multa, quæ ad negotialem rationem pertineant, conferamus in pauca: in noſtra verò aut opera, aut

ra, aut industria amico deferenda, in dolore, lætitiaúe significanda simus longiores: sed illud ipsum, cuius pręcipuè causa adducimur ad scribendũ, siue multis, siue paucis verbis tractetur, Epistolas facit aut negotiales, aut morales. Atque illud quidẽ inter morales Epistolas, & negotiales interest; quòd illæ suis se plerunque finibus continent; neque ad negotia tractanda, quæstionesúe disputãdas excurrunt: hęc verò ita versantur in negotio, vt de morali etiam genere aliquid assumant: non quia necessitas cogat, sed quia ipsa ratio ita postulare videatur. Nam siue ad amicũ scribas, illius negotia feliciter esse confecta, siue planè desperata: siue in eum locum adducta, vt eis tu aliquam nauare operam possis; simul tibi aut lætãdum erit, aut dolendum, aut aliquid etiam pollicendum; ne amici officicum neglexisse videaris.

Fecit hoc Cicero tum in multis suis Epistolis, tum maximè in ijs, quæ sunt in primo libro familiarium ad P. Lentulum; quæ cùm negotiales fere omnes sint, eis tamen morales sententias frequenter admiscet.

In quo genere eloquentiæ versentur Epistolæ. Cap. 2.

EPistola simplici argumento, simplicique stylo contenta esse debet: atq; ita, vt quotidiani sermonis cõsuetudinem imitetur. Cùm enim ob eã potissimùm causam totũ hoc scribendi genus inuentũ sit, vt, quæ coram cũ amicis familiariter agere non possumus, eadem cum ipsis absentibus per litteras cõmunicemus, quotidianis quidem verbis, familiarique sermone Epistola texenda est. Quod ipsum apertè Cicero in Epistola ad Pætum ac festiuè satis ostendit. Quid tibi ego, inquit, videor in Epistolis? nonne plebeio sermone agere

agere tecum? neq; enim semper eodem modo. Quid enim simile habet Epistola aut iudicio, aut concioni? Quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare vno modo: Epistolas verò quotidianis verbis texere solemus. Itaque Epistolam Cicero imaginem quandam esse vult quotidiani, plebeijque sermonis. Sed interdum tamen & grauiores sententias in Epistola, & maiorem elegantiam, concionatemque verborum deside rari, quàm in quotidiano sermone, fateamur, necesse est. Nam & accuratiùs scribere cogimur, quàm loqui: & ad eiusmodi personas mittuntur sæpe litteræ, vt necesse quidem sit, tum sententiarum dignitate, tum elegantia verborum paulum se attol lat oratio. Cùm enim ad principes viros, cū ad grauissimū aliquē Senatum Epistola mittitur, quis neget eā abhorrere debere à vulgari, tritoq;

sermo-

sermone? Quin & ipse Cicero, qui tãtopere in Epistolis quotidiani sermonis similitudinem amat, indulget interdũ ingenio, atque Epistolas ita cõtexit, vt maior in eis, quã quotidianus sermo patiatur, vel verborũ copia, vel sententiarũ splẽdor appareat. Quid enim illa ad Luceium Epistola de sui Consulatus historia separatim componenda, quam idem ipse Cicero bellam vocat, aut commune habet, aut vulgare? Quid illa ad Dolabellam? qua ei de sublata columna, & ijs, qui eã Cæsari mortuo tanquam Deo infero erexerant supplicio affectis gratulatur? Illa verò ad Lentulum, vbi causam exponit, cur cum inimicis in gratiã redijsset, quam est & crebra sententijs, & copiosa verbis? Iã in ea, in qua M. Brutus Ciceronem accusat, quòd suppliciter nimis, ac demissè ad Octauium scripsisset, quid tandem quotidia-

Fam. lib. 5 epist. 14.
libro. 9. epist. 14.
libro. 1. epist. 9.

tidiano sermoni simile reperitur? Habuit nimirum Cicero rationem temporis, habuit rationem personarum, atque earum rerum, de quibus agebat dignitatis: & vsq; eò progressus est, quò ipsa eum ratio, prudẽtiaque ducebat. Quem nos quoque in hoc scribendi genere ducem sequi debemus: est enim eiusmodi, vt immodicè ac temerè si fiat, fastidium pariat, & in reprehensionem incurrat; sin modicè, & loco delectet sine satietate, & laudem assequatur.

Quot sint Epistolæ partes: & quid in singulis præstandum. Cap. 3.

Conscribẽdis Epistolis nullus ordo præscribi potest, qui necessariò seruari debeat: neque enim omnes vno conficiuntur modo: sed pro personis, ac rebus Epistolarum forma mutatur. Qui verò styli gratia hoc scribendi genere exercentur,

Episto-

Epistolam in quatuor partes diuidere possunt; exordium, propositionem, confirmationem, epilogum. Exordio, eius, ad quem scribimus, apta sententia beneuolentiam captamus. Propositione, quid ab eo maximè velimus, breuiter significam⁹. In confirmatione, rationes afferuntur, quibus amicum vel cósolamur, vel hortamur, vel monemus, vel aliquid demú ab eo contendimus. Epilogo Epistolam claudimus; in quem omnium argumentorum, ac rationú cófirmationis breuissima summa cófertur. Exemplo esse potest illa Ciceronis Epistola libri quarti familiariú nona, cuius initium est: Et si per paucis ante diebus. Item ea, quæ in libro sexto sexta ipsa est, atque incipit. Vereor ne desideres officium meum.

Quid in exordio seruandum sit.
Caput. 4.

QVod ad exordium attinet, liberrima quidem est in Epistolis exordiendi ratio; præsertim cùm ad eos scribimus, qui ita nobis amici tia sunt, amoreque coniuncti, vt inter nos, atq; illos officiorũ commemorationem non modò non necessariam vllo aut negotio, aut tempore, sed etiã superuacaneã putemus: quos ea voluntate, atque animo in nos esse perspeximus, vt non minori curæ res illi nostras esse, quam nobis cognouerimus: quique nostra consilia ita audituri sint, vt credant, æquè nos de illorum salute, ac de nostra laborare. Cùm verò ad aliquem scribendum est, cuius vel beneuolentiã captare, vel conciliare gratiã, opus erit; tũ ab ea re duci debet exordiũ, quã gratissimã illi fore existimabimus. Quare necesse est, ante

quàm ſcribere incipiamus Epiſtolã, eius, ad quem ſcribimus, naturam, ingenium, ac mores conſiderare, animoq; perpendere. Aliquãdo enim ad gratiam conciliandam plurimûm valebit, ſi noſtrorum, atque illius parentum amicitiam, ac neceſsitudinẽ repetamus: aut ſi noſtra cum illo primæ adoleſcentiæ communia ſtudia commemoremus. Si, cũ aliquid implorandum eſt, eius humanitatem in omnes, beneficentiamq; laudemus. Interdum etiam, ſi noſtram in ſcribendo negligẽtiam accuſemus, qui hoc litterarum officium tam illi debitum, ſeriûs præſtiterimus. Captari etiam poterit beneuolentia, aut etiã augeri, ſi ex felici aliquo eius rerum euentu magnam nos cepiſſe lætitiã oſtẽderimus. Si cûm ille vel noſtra, vel noſtrorum cauſa quicquam fecerit, magnam illi nos grati animi ſignificationem demus; quaſi magnum

aliquod beneficium in nos ipse con tulerit. Denique pro dignitate & rerum, & personarum ipsa nos prudẽtia, necessitasq́ue docebit, vnde potissimum Epistolę initium ducamus.

Quid in confirmatione seruandum sit. Caput. 5.

DE propositione nihil est præcipiẽdum, præter quàm quod res ipsa loquitur; debere eam esse breuissimam. In confirmatione, cũm diuersæ sunt, variæque sententiæ, curandũ est diligenter, & eas aptè connectere, & ex alijs ad alias commodè, venusteque transire: quod quidẽ ita facere nõ vulgaris ingenij est. In quo mirus est Cicero, qui trãsitionibus vtitur quàm aptissimis: vt illæ sunt. Si hęc lõgiora fortassè fuerunt, quàm necesse fuit; illa, quæ maiora sunt, breuiùs exponam. Item: Sed hæc consolatio leuior, illa grauior. Item. Quando quid tibi permitteretur,

epist.o.1. libro.6. fam.
epist.o.3. libro.6.

 retur,

epiſto.10. libro.4. retur, cognouiſti, quid mihi placeat, epiſto.2. libro.12. puto te ſcire oportere. Item. Atque hæc domeſtica: quid illa tandem po- epiſto.9. libro.1. pularia? Item. Sed hæc tolerabilia, illud non ferendum, quod eſt, quod vno anno Conſulem filium ſuum fu turum putet, &c. Huius geris multa ſunt apud Ciceronem, quæ diligens eius imitator obſeruabit.

Quid in epilogo ſeruandum ſit.

Caput. 6.

QVod ad rationem litteras claudendi attinet, præter id, quod ſupra diximus, illud quoq; animaduerſione dignum eſt: præclarè quidé & commodè ſolere Epiſtolam officio terminari: vt ſi in eius extremo dicas, aliquid te amici cauſa diligenter curaturum; aut in officio, amoreque permanſurum; aut eiuſmodi aliquid, quod amorem præ ſe, ac beneuolentiam ferat. Facit hoc ſępe Ci- epiſto.1. libro.1. ro, vt ad Lentulum. Noſtram fidem omnes,

omnes, amorem tui absentis præsen tes tui cognoscent. Quam sententiã in pluribus primi libri familiaribus Epistolis alijs atque alijs verbis expressam reperies. Et ad Curionẽ. Illud profectò cognosces; mihi te neque chariorẽ, neq; iucundiorẽ esse quenquã; & Epistola consequenti. Hoc quod attigi, nõ feci inflãmandi tui causa, sed testificãdi amoris mei; & ad Appiũ. Hoc ad te scripsi liberiùs fretus conscíẽtia officij mei, beneuolentiaq;, quam à me certo iudicio susceptam quandiu voles conseruabo. Plurimas hui⁹ generis clausulas apud Ciceronẽ inuenies: à quo omnia, quæ ad hanc artem spectãt, petenda esse existimo: quiquidem hoc scribendi genere vel vnus excelluit, vel omnes, qui in eo excelluerunt, longo interuallo superauit: quẽ qui studiosè legerit, & quæ in eo sunt eximia, quæ quidem ad hoc

epist°.3. libro.2.

episto.3. libro.3.

artificium, atque prudentiam pertinent, diligenter expenderit, neque ad exordiendã, neque ad terminandam, neque ad totam denique concinnandã Epiſtolam vllis præceptis magnopere indigebit. Sed quoniã non omnium eſt eius artificium notare, atque ingenio aſſequi; de ſingulis Epiſtolarum generibus, aut certè de ijs, quæ vſitatiora quidem ſunt, & ad exercenda ingenia magis accommodata, breuia quædam præcepta trademus: quibus etiam tyronibus muniamus viam ad idem artificium faciliùs & cognoſcendum, & imitandum.

De ſingulis Epiſtolarum generibus. Caput. 7.

CVm omnes Epiſtolæ ad tria capita, vt diximus, referri poſsint; negotiale ſcilicet, morale, atq; mixtum; quæ negotiales quidem ſunt, nullis videntur præceptis indigere: tot

tot enim erunt Epiſtolarum formæ, quot negotiorum: earum autem ordo is, quē negotia ipſa poſtulabunt. Quis verò eſt tam ineptus, qui, vt amicum doceat, quo in ſtatu res vel ſuæ, vel alienæ ſint, quomodo item res aliqua geſta ſit, præcepta requirat? Iā verò morales ſententias quæ ſæpe huiuſmodi Epiſtolis intexi debent, loco, & aptè ponere, prudentiæ magis, atque ingenij, quam artis eſt. Reſtat ergo, vt de ijs, quæ ad morale genus ſpectāt, priuatim aliquid præcipiamus: nam quæ mixtæ ſunt, ex qua parte morale genus attingunt, huc etiam referri debent. Verſantur autem in hoc genere Epiſtolæ, quibus laudamus, aut vituperamus aliquid; vel expoſtulamus cum aliquo; aut nos ipſos purgamus, vel ſuademus, aut diſſuademus; hortamur, monemus, conſolamur, petimus, commendamus amico aliquē;

 polli-

pollicemur, gratulamur, iocamur denique animi cauſa; de quibus ſingulis dicendum eſt.

De Epiſtola laudatoria. Cap. 8.

IN Epiſtolis laudari ſolent interdū perſonę, vrbes, regiones, reſque aliæ huius generis multę. Ducitur autē perſonę laus à triplici bonorū genere; fortunę ſcilicet, corporis, atq; animi. Fortunę bona ſunt, natio, patria illuſtris, parentes, ac maiores virtutis, ac dignitatis commendatione clari: honores, maximarū opū poſſeſsio, atque eiuſdē generis alia. Corporis verò, formę venuſtas, ac dignitas, integrę vires, bona valetudo: atque alia id genus. Animi autem bona virtutes ſunt, egregia facta, ac bonarum artium ſtudia.

Vrbes laudantur à conditore, à natura loci, à cæli temperatione, à templis, ab alijſq; ipſarū vrbiū ornamētis, monumentiſq; maiorum. Sed

preci-

præcipua tamẽ laus à ciuiũ virtute, honestisq; moribus, à præclaris legibus, & institutis petenda est. Quod idem de regionum laude dictum sit.

Virtutes, atq; honestę artes ab ijs bonis, quæ ab ipsis proficiscũtur, laudẽ accipiũt: quę illis cõtinẽtur locis, quę in Epistola suasoria tractantur.

De Epistola vituperatoria. Cap. 9.

VItuperatio, quę in Epistolas etiã interdum cadit, ijsdem omnino locis constat, quibus laus; versis tamen in contrarium. Itaque qui personam aliquã vituperare velit, à malis fortunę, corporis, atque animi argumenta desumet. Quod idẽ de cæteris rebus, quę laudari possunt, intelligendum est. Rarò autem contingit, vt tota Epistola, aut laudatione, au vituperatione constet. Solet autem huiusmodi argumentũ nonnunquam occurrere; vt cûm rogati ab amico, quidnã de homine aliquo

nobis bene noto ſentiamus, illius nos, ſiue honeſtus ille ſit, ſiue ſecus, vitam, atq; mores explicamus. Aut ipſi vltro ad amicum ſcribimus, qualis aliquis ſit, vt eius aut amicitiã ſibi conciliet, aut familiaritatem fugiat.

De expoſtulatoria Epiſtola. Cap. 10.

IN ea Epiſtola, per quam cum aliquo expoſtulamus, quòd nos, famamúe noſtram, aut verbis, aut re aliqua læſit, aptum erit exordium, ſi dixerimus; mirari nos vehementer, eum nobis tam inſignẽ iniuriam intuliſſe, quem ne minima quidem in re non modò non violauimus; ſed officijs etiam aliquãdo proſecuti ſumus. Aut ſi in amicorum numero illũ ſemper habuimus, deceptos nos eſſe dicemus, qui eandem amicitiæ fidem ſeruari ab eo, atque coli putabamus, quam nos integram ſemper inuiolatamque ſeruauimus. In propoſitione, quid nobis delatũ ſit vel

dictum

dictum ab eo, vel factum referemus. In confirmatione, argumenta adducemus, quibus moueri nos, dicam⁹, quo minus verum illud esse existimemus; quòd falsa confingere, virũ minimè deceat, sapientẽ præsertim, nobilem, honestatis cultorẽ, qualẽ semper illũ esse cognouim⁹. Quòd si amicitiæ intercedant vincula; non credere nos affirmabimus, nullam ab eo amicitię habitam esse rationem; cùm ab amicis violari fidem, nemo probus non maximum crimen semper esse duxerit. Vbi addere licebit & nostra in illum merita, & spem, quã ille nobis gratificãdi sępe often derit non obscurè. In epilogo hominem rogabimus, vt ad nos rescribat; vt ex eius tandem litteris, quo ipse in nos animo sit, perspicere possimus; atque ijsdem mendacij conuincere obtrectatores, qui eos rumores inuidię fortasse causa dissiparũt.

De expurgatione. Cap. 11.

TRiplici ratione expurgare nos alijs ſolemus. Aut enim quę nobis obijciuntur crimina falſa eſſe oſtendimus; aut in quo accuſamur, id nos bono feciſſe animo confirmamus: aut eius ſuſpicioni occurrimus, quem arbitramur, à nobis neglectum eſſe officium, ſuſpicari. Exordium in huiuſmodi Epiſtolis quęremus ad captandam beneuolentiā aptiſsimum pro noſtra, & eius ad quem ſcribimus dignitate, pro qualitate item criminum. Neceſſe eſt enim, eius offenſus ſit animus, cui nos purgare, noſtraque probare facta oportere ducim9. Itaque ab amore, noſtraque in illum obſeruantia, ſi perſonę dignitas ferat, commodè ducetur initium: vt ſi dicamus, nos grauiter dolere, eum à nobis offenſum eſſe, quē ſemper dileximus, & obſeruauimus: neſcire nos, quo nam fato

fato nostro fiat, cui plurimum debea mus, ei nos ne gratos quidem videri potuisse; cùm erga omnes grati sem per & curemus esse, & habeamur. In propositione breuiter attingem⁹ quę nobis obiecta sunt crimina; qui bus singulis respōdendū nobis esse dicemus. In confirmatione si vt falsa sunt crimina diluenda, ab iisdē lo cis, & personis, vbi, & quibuscū res gesta esse dicatur, argumenta sumemus: vt si aut in eis locis nūquā nos fuisse, aut cū eis nunquā egisse, aut si vnquā, non tamen tunc temporis, ostendamus: itemq; ab aliis circunstantiis, prout res ipsa postulare videatur. Si verò neq; personę, neq; loci argumēta suppeditent; plurimū iuuabit, si veteris amicitię coniunctionem, mutua inter nos studia, atque officia cōmemoremus; neq; tā nos inconstantes, aut etiam amentes esse, vt cuius amicitiam tam studiosè

dioſè ſemper coluerimus, idque no bis magnæ gloriæ eſſe duxerimus, nunc repentè ſine vlla cauſa reſcindamus. Quòd ſi adhuc de noſtro in ſe animo dubitet, eum licet, experiatur; nos quidem certos eſſe, futurum vt in amicitia, amoreque priſtino conſtantiſsimos nos fuiſſe reperiat. Sin vero concedēda erunt crimina, tum rationes afferentur, quibus doceamus, ea nos bono feciſſe animo: quæ quidem rationes eędē eſſe poſſunt, quas modò cõmemorauimus. Veniã prætereà deprecabimus; idque nos facere dicemus illius humanitate fretos, atque clementia. Nos quidem vt homines per imprũdentiam eſſe lapſos; illius verò ſapientię eſſe, ei ignoſcere, qui & crimen fateatur ſuum, ab humano potius errore, quàm ab improbitate profectum; & nihil ſe eiuſmodi cõmiſſurum in poſterum profiteatur.

Epi-

Epilogus magnam habebit amoris ſignificationem, magnam oſtendet in officio, ac beneuolentia permanendi voluntatem. Tertia purgationis ratio facilior eſt: vt cùm noſtram ſcribēdi tarditatē excuſamus, quod aut morbo impediti fuerimus, aut negotijs, occupationibuſque diſtricti; aut ad aliquid aliud præſtandum non nobis voluntatem, ſed facultatem defuiſſe confirmamus. Quæ verò impedimenta fuerint, ea ſcribenti materiam ſuppeditabunt.

De ſuaſoria Epiſtola. Caput. 12.

IN Epiſtola Suaſoria curamus id amico perſuadere, quod oportere illum facere exiſtimamus. In hac autem Epiſtola, quod idem de tribus conſequentibus dictum ſit; arrogantiam quaſi ſcopulū vitare debemus: atque ita aut ſuadere, aut hortari, aut monere, aut conſolari alios, vt tamē eorū conſilio, atq; prudentiæ multū

tribuisse videamur: significemusq; amore nos magis ductos nostra consilia exposuisse, quàm quòd ijs indigere illos putaremus: nisi ad eum scribamus, apud quem tantum ipsi valeamus auctoritate, vt nulla in dando consilio, quancunque rationē ineam⁹, timeatur offensio. Captabimus ergo beneuolentiā à nostro in illū amore, & voluntate. Proponemus deinde quæ persuadere illi volemus. In cōfirmatione ab his fontibus argumenta petemus: honesto, vtili, facili, necessario. Magnā enim vim adfert suasio, cùm rem, quam amico suademus, honestā esse dicimus, cū virtute coniunctā, tali viro dignā, quę deniq; magnā illi pariturа sit gloriā. Cùm deinde ostendim⁹; magnas secum vtilitates afferre; magnos ex ea fruct⁹ percipi posse. Prętereа rem esse eiusmodi, quę facilè, aut non magno negotio obtineri

queat. Postremò ita necessaria, vt si eã aut suscipere, aut prçstare nolit, vel dedecus, vel infamia, vel magna aliqua incõmoda necessariò illi subeunda sint. Augeri poterunt argumenta à circunstantijs locorũ, temporum, rerum, & personarum, quæ in ipsa re occurrẽt. Est & illa prçclara suadendi ratio, cũ refellimus ea, quç id ipsum, quod amico persuadere cupimus, dissuadere eidem posse videantur. Fecit hoc Cicero elegantissimè in Epistola ad Marcellum: vbi dum reditum illi in patriam suadet, quæ idem ipsum reditum dissuadere videbantur diligentissimè conatur refellere; quod quidem præclarum quoddam est suasionis exemplum. Claudemus denique Epistolam magna quadam amoris significatione, vt quæ inde initium duxerit, tota ab amore profecta esse videatur. Quod ad dissuasionẽ attinet, epist. 9 libro 4.

tinet, iiſdem locis vti licebit, quibus in ſuaſione, in contrarium prorſus mutatis.

De hortatiua Epiſtola. Caput. 13.

EPiſtola, quæ ad hortandum valet, ſuperiori ſimillima eſt: habere tamen debet maiorẽ vim, & acrimoniam ad commouendũ eius animum, quem hortamur vel ad virtutis ſtudium, vel litterarum, vel militiam ſequendam, vel defendendam patriam, vel etiam religioſam vitam ſectandam, aut ad aliquid demũ præclarum, & excellens. Itaque præter quatuor illa loca Epiſtolę ſuaſorię petere licebit argumẽta ab expectatione hominum: vt ſi dicamus, omnes in illum oculos habere coniectos, magnumque aliquid ab eo ſemper expectaſſe. Et quia plurimũ ad hortandum valet, ſi laudes eum, quẽ hortere, eius laudabilis ingenium, atq; naturã ad id, ad quod excitare

cùm velis, aptissimâ. Superiora præterea eius facta, laudem ab ipso partam cõmemorabis, quibus quasi cumulum gloriæ deesse dices. Is vt accedat, diligenter illi esse elaborandum. Quo argumento vsus est Cicero ad Plancum elegantissimè. Item ab æmulatione æqualium ducere licebit argumenta: ne patiatur se ab ijs, qui minùs valent aut ingenio, aut industria, laudis gloria superari. Et, si quidem, res ita postulet, à commiseratione, vt si dicas: multos ex eo pẽdere, vt fratres, sorores, aut etiam parentes ipsos, qui valde sperant, illius ope suam aliquando miseriam leuatum iri; ipsam denique patriã, cuius salus eius virtute nitatur; ne tantum dedecus suscipiat, vt desertos patiatur esse eos, quos iuuare & possit, & debeat. Addere licebit illustrium virorum exempla, qui eodem instituto vitæ, ad quod illum hortamur, ma- epistol. 5. libro. 10.

gnam sunt gloriã consecuti: aut etiã miseros eorum casus, qui illud contempserunt. Claudemus Epistolam per deprecationem pro nostro in illum amore, pro veteri nostra amicitia, pro eo, quanti decus, pietatẽ, religionem facere debeat.

De Epistola, quæ ad monendum valet. Caput. 14.

HOc litterarũ genere amicos sui officij cõmonemus: vt aliquod vitium corrigant, aut quid illorum facere intersit, docemus. Hîc quanquantum apud eos auctoritate valeamus, quos, vt vitij aliquid corrigant, monemus, cognitum, perspectúque nos habere necesse est; quo item in nos illi sint animo, quanta beneuolentia, & amore: quæ si desint admonitione supersedẽdũ erit. Quotus enim quisque est, qui sua vitia æquo animo audiat? ad aliquod verò egregiũ factum excitari, multi

magnæ

magnæ etiam laudi sibi ducunt. Debet igitur tota Epistola magnam habere amoris significationem, à quo quicquid profectum est, in bonã ferè partem accipitur. Loci, vnde argumenta sumemus, ijdem erunt, qui sunt suasionis. Quibus addere licebit eorum exẽpla, qui admoniti vitia correxerunt. In epilogo petem⁹ ab amico, si res, atque personarum ratio ita ferat, vt nos quoq; ipse admoneat, si quid in nobis reprehensione dignum animaduerterit. Huc etiam pertinet, cùm amicum monemus, vt sibi valetudinique suæ consulat; vbi amor indisertus esse non potest: itaque is materiam satis copiosam suppeditabit. Huius generis aliquot Ciceronis Epistolas reperies libro. 16. familiarum ad Tironem.

De Epistola consolatoria. Cap. 15.

PLurimum valet ad consolandum societas ægritudinis: index enim beneuolentiæ dolor est. Quare in consolatoria Epistola, optimè initiū ducitur à significatione nostri doloris ex eius incommodis, ad quē scribimus. Quod fecit Cicero in Epistolis ad Titiū & Fabium; & Sulpitius ad Ciceronem, dum illum de Tulliolæ obitu consolatur. Deinde ab his locis rectè institui potest consolatio. A communi hominum nascendi conditione: vt si dicamus, ea nos lege natos esse, vt plurimis afficiamur incommodis; neque debere illum propriam, & præcipuam conditionem postulare, aut communē recusare. A communi etiam fortuna: vt si dicamus, eius incommoda ad omnes, aut ad plurimos pertinere. A mali breuitate: si ostendamus, nō illū diu in miserijs, quas patitur versaturum.

episto. 16. & 18. li. 5. epistol. 3. libro. 4.

saturum. Ab spe remedij: vt si rationes ostendantur, quibus eius incommodis subueniri possit: quod magnum doloris leuamen esse solet. A conscientia rectè factorum: vt si dicamus, nihil ei dolendum esse in eo, quod sciat nulla sua culpa esse commissum. Ab opinione hominum de illius fortitudine, eximiaque virtute in malis tolerandis: itaque monebimus, ne committat, vt de præclara illa existimatione sui apud sapientes viros aliquid amittat. Ab vtilitate, à laude, & honestate, quæ in illius ma li tolerantia insit, si id fortiter, atque sapienter ferat. Ab aliorum exemplis, qui in eiusmodi casibus se viros fortes summa cũ laude præbuerunt. Denique vt det operã, ne cùm omnia in eo sint animi ornamenta, hoc vnum homines desiderare videantur. In epilogo nostram illi operam, studium, & quicquid industria, con-

filio auctoritate valebimus, libenter pollicebimur. Eſt etiam illa præclara conſolandi ratio, cùm ſingulis rationibus, quæ dolorẽ afferre amico poſſunt, ita occurrimus, vt eas ipſas conſolationis loco ponamus. Fecit hoc Cicero ad Torquatũ ſcribens in exilio verſantem: cui iiſdem ipſis rebus carere, quas ille cum magno dolore deſiderabat, magnæ illi conſolationi eſſe debere diligenter oſtendit, & ingenioſè.

Epiſto.1. Libro.6.

De Epiſtola impetratoria. Cap. 16.

AD impetrandum id, quod petimus, captata beneuolentia, re q; propoſita, his locis commodè vtemur. Si oſtendamus, rem eſſe facilem, poſſeque ab eo, à quo petimus, minimo negotio præſtari. Rem eſſe honeſtam, ex qua ipſe magnam gloriam conſecuturus ſit. Si oſtendamus præterea, quanto nos eius rei conſequendæ ſtudio teneamur: præ

sertim si ille aliquo nobis beneficio deuinctus sit: quantam etiam impetrãdi spem habeamus; quã qui osten dit, eo ipso faciliùs impetrat: suam enim laudem agi existimat is, à quo petimus, cùm de se bene existimari videat: vereaturque ne liberalis, atque humani præclarum nomen amittat. Multum etiam valent ad impetrandum eius merita, cui aliquid petimus. Gratificãdi denique studium vel nostrum, vel alterius; quo epistola concludi aptè potest.

De commendatitia Epistola. Cap. 17.

COmmendatitiæ litteræ pro negotiorum varietate, varias quoque partes, easq; modò plures, modò pauciores habent: sed vsitata & quasi legitima, cùm aliquid, aut aliquem commendamus, tria sunt: Commendationis causa, rei narratio, memoris animi, & gratæ voluntatis vel ab eo qui commendatur,

vel à nobis etiam ipſis promiſsio.
Commẽdationis cauſæ eſſe poſſunt vel amicitia cum eo, quem commendamus, aut etiam cum ipſo, ad quem ſcribimus: vel rei magnitudo, ſi non perſona, ſed res commẽdatur; & poteſtas, auctoritaſque eius, cui litteræ mittuntur. In narratione rei æquitas ſimul poteſt oſtendi, & neceſsitas eiuſdem conſequendæ. Tertio loco addere etiam oportebit laudes eius, quem commendamus: vt is per ſe dignus eſſe videatur, cuius cauſa ea in re maximè elaboretur.

De gratulatione, Cap. 18.

GRatulatio tres plerunque partes habet. Primò enim amico gratulamur de honore, bonoue aliquo adepto. Deinde bene ei precari ſolemus. Poſtremò eundem exhortamur ad rem ſuſceptam cum laude gerendam. Exordiri igitur aptè poſſumus à voluptate, quã audito nuntio

animo percepimus; deinde nostræ læ
titiæ rationes addi possunt, cur nos
in eo præcipuè lætemur: quæ vel à
nostro in illum amore, vel ab amici-
tia, quæ nobis cum illo est, vel à me-
ritis denique, quæ in nos ille contu-
lerit, duci possunt. Precabimur præ
terea Deum immortalem, vt eum il-
li honorem fortunet. Ad exhorta-
tionem valent illa, quæ superiùs in
Epistola hortatoria tradidimus. Hāc epist. 7.
planè rationem secutus est Cicero libro. 2.
ad Curionem.

De gratiarum actione. Cap. 19.

EPistola ea, per quam gratias ei
agimus, qui aliquid nostra causa
fecerit, in quatuor partes aptissimè
diuidi potest hoc modo. Si dicamus
primò, non frustra nos eius causa ali
quādo laborasse, si quid nos aliquā-
do ipsius causa præstitimus; quod cū
dicimus, illud etiam ostendimus, il-
lud no[illegible] officium fuisse debitum.

Deinde si benignitatem eius laudauerimus, qui plus reddidit, quàm accepit. Tertiò si dicamus eius operã, quam in ea re posuit, pluris à nobis fieri, quàm rem ipsam, quam adepti sumus, quòd à tali viro quòd ex vera amicitia fuerit, virtuteque profecta. Postremò si magna grati animi significatione remunerandi promptam voluntatẽ ostenderimus. Hãc
epist.13. libro.3. Cicero rationem seruauit in Epistoad Ap. Pulchrum. Quòd si nulla nostra merita præcesserint, ideo ampliores illi gratias deberi à nobis dicemus. Benignitatem secundò loco extollemus, quæ bene de omnibus mereri velit, etiam de ijs, qui promeriti nihil sunt.

De Epistola officiosa. Cap. 20.

ETsi superiores omnes Epistolæ officiosæ ferè appellari possunt, quòd officij amicorũ sit, amicis vtilia suadere; eosdem hort[illegible], monere-

re, consolari, alijs tuendos iuuādosue commendare; tamē hoc loco officiosam Epistolam appellamus eā, per quam nostra studia, operam, & quidquid præstari à nobis potest amico pollicemur. Cuius exordium duci potest vel ab amore, vel alætitia, quā cepimus, oblata illa occasione, in qua aliquid nos eius causa efficere possimus, ac nostrā illi voluntatem ostendere: vel etiam à dolore, si in re aliqua tristi nostro ille auxilio, operaque indigeat. In reliqua Epistola aptè commemorari possunt rationes, quibus nos officium illud præstare, atque illius causa vehementer laborare debeamus: vt merita eius erga nos, amicitiæ nostræ vetustas, eiusdem dignitas, quæ, si deessent reliqua, satis quidem esset, ad cuiusuis animum commouendum, nedum amicissimi hominis, eiusque studiosissimi: claude-

mus Epistolam prolixa quadā eiusdem officij pollicitatione.

De Epistola iocosa. Cap. 21.

SOlent interdum amici salibus, festiuisque iocis in Epistolis vti, vel molestias leuandi, vel etiam ingenij, & acuminis causa. Raro tamen contingit, vt tota Epistola iocosa sit; sed eiusmodi ioci, atq; sales ex ipsis vel rebus, vel personis, de quibus agitur, deducuntur, & aptè, ac festiuè litterarum sententijs admiscentur. Huius generis multę sunt epistolę apud Ciceronem: vt nihil esset, quod ad eloquentiæ laudē pertineret, in quo nō eius eximium eluceret ingeniū: vt illæ sunt, quæ libro septimo familiarum leguntur ad Trebatium, & quæ ad Pætum libro nono.

De vsu locorum. Cap. 22.

QVi necessitate compulsus litteras conscribit, is natura ipsa duce, ac magistra, rhetorum præcepta

ferè non desiderat: quanuis etiã tum non minimûm natura ipsa iuuari arte posset. Qui verò styli gratia com ponendis epistolis ingenium exercet, eum oportet locos, qui in singu lis epistolarum generibus notãtur, commentatione, atq; meditatione paratos, expeditosq; habere: vt in eis, cùm scribendum illi sit, peruesti gare facilè, & inuenire possit, quid dicat. Illud tamen animaduertendũ est: non ex omnibus semper locis, quos notauimus, rationes, atque argumenta esse necessariò desumẽda. Nam cùm tam varia sit & rerum natura, & personarum, fiet interdum, si ex omnibus cuiusque generis eruan tur argumenta, vt rationes ipsæ minus inter se cohæreant, vt etiam pugnare sæpe videantur. Quare deligenda sunt ea loca, quæ & personis, & rebus conuenire magis videbuntur. Et quidem ad consolandum, aut hortan-

hortandum, ad aliquod eiusmodi literarum genus, satis interdũ erit, si ab vno, aut altero loco rationes sumantur: vt ab honesto, à recta conscientia, ab aliorum exemplis. Adde quod cùm in Epistola magnopere laudetur breuitas, si omnia loca persequaris, & quæ in singulis inueneris, exponas, longissimam Epistolam sæpe, vel potiùs volumen conficies, quod fastidium potiùs legenti afferat, quàm illius vel dolori medeatur, vel animum excitet ad id, quod persuadere illi velis. Qua in re, vt in reliquis omnibus quæ ad hanc artem spectant, optimus magister esse potest Cicero, in quo non minus prudentia in hoc genere, quàm sermonis elegantia petenda est. Sed vt qui scripturus sit Epistolam, faciliùs inuenire posit in Cicerone, quid in quouis Epistolarum genere imitetur,

tur, indicem subscribendum duximus Epistolarum, quæ in singulis generibus versantur. Ex quibus aliç quidem totæ sunt eius generis, cui subijciũtur, aliæ verò magna ex parte, aliæ denique si non multa, aliquid tamen habent, quod id genus attingant. In quibus vniuersis quæ præcepta de conscribendis Epistolis tradidimus, alia quidem in alijs dispersa reperies.

INDEX

INDEX EPISTOLARVM CICERONIS,

quæ in quoque genere versantur, ex libro familiarium Epistolarum.

Epistolæ negotiales.

EGo omni officio epist.1.lib.1.Idibus epist.2. De omnibus rebus.8.eiusdem lib.
Non potuit epi.15.lib.2.Magno dolore.epi.16.
Accipio.epist.4.lib.4.

Epistolæ Morales.

Laudatoriæ.

NVllæ sunt apud Ciceronem Epistolæ, quæ totæ aut in laudatione, aut in vituperatione versentur: colligi tamen multa possunt ad laudem ex Epistolis commendatitijs, & ex ijs.
Caninius epist.6.lib.9.Et si.14.
Hyemem.epist.5.lib.12.Si vales epist.13.

Expostulatio.

SI vales epist.1.lib.5.Et si.5.Si tu.7.eiusdē lib.
Miror epist.27.lib.7. Litteras.epist.13. lib.11.

Expurgatio.

PErincundæ epist.9.lib.1.
Tu vide.epist.10.lib.2.Raras.13.eiusdem li.
Cùm meum factú. epist.6.lib.3. &.7.&.8. &.10. eiusdem libri.
Si tu.epi.2.lib.5.Non oblinione.7.quomodo.16.

Suasoriæ epist.

Dissuasoriæ.

Hortatiuæ epist.

Monitio.

Consolatio.

GRaui.epist.2.lib.2.
Vehementer epi.3.lib 4.& epi.5.13.
Quanquam.13.li.5.& 16. & 17. & 18. & vltima eiusdem lib.
Et si epi.1.lib.6.& 2.& 3.& 4.& 5.& 6.& 12.& 14.& 15.& 21.eiusdem libri.

Petitio.

CVm epist.2.& 3.lib.3.
Litteræ epi.4.lib.5.Si vales.9.Coram.11.
Quod tibi.epi.7.li.6.Si mihi.17.
L.Tito.epi.14.lib.13.

Gratulatio.

HAec negotia.epist.5.lib.2.Sera.7.& 6.
Vix.epist.9.lib.3.& 11 & 12.ibid.
Gratulor epi.12.li.6.& 13.
Si vales epi.72.li.13.
Gratulor.epist.73.lib.13.
Te & epist.7.lib.15.& 8.& 9.& 12.

Gratiarum actio.

TRalles.epist.5.lib.3.quasi 13.
Gratissimę epi 4.lib.10. Immortales.11. Iscete.24.
Non concedam.epi.18.lib.13.Licet.27.
Quantæ epist.11.lib.15.

Commendatitiæ Epist.

AVlo Trebonio.epist.1.lib 13.
Nondum.epist.6.lib.2 Marco.14.
Cum.epist.9.lib.9.
Vide.epi.5.lib.7.Silij.11.
Caius.epi.13.lib.9.

Permagni.epi.16.lib.11. & 17.& 22. & 29.eiusdem libri.

Qui status.epi.6.lib.12.Siuales.:2.Caius.21.Q. Turnus.26.& 27.& 19.eiusdem libri.

Et si non satis.epi.1.lib.13. & omnes ferè epistolæ.eiusdem libri.

Quando.epist.10.lib.15.

Pollicitatio.

Quantum.epist.8.lib 5.

Ego quanti.epist.10.lib.6.

Meum studium.epist.2.lib.19.

De meo.epi.19.lib.10.

Ioco∫æ.

Cur enim.epist.vltima lib.1.

In omnibus epist.6.lib.7.& 7.& 8. & in reliquis quæ consequuntur ad Trebatium aliquid, ferè ioci admiscetur.

Delectauerunt.epist.15.lib.9.Reliquę item ad Patum aliquid leporis habent & ioci.

ET si ex his Ciceronis epistolis multa sumi documenta possunt,ad alias epistolas conscribendas,ac præcepta, quę superius tradidimus exercenda; tamen quia in eis ars ipsa quibusdam fortasse erit obstrusior,exemplaria cuiusque generis epistolarum adijciendo putauimus, in quibus artificium facilè appareat, quibusque ad hoc scribendi genus, faciliter adolescentibus muniatur via.

EXEMPLARIA CVIVSQVE GENERIS Epiſtolarum, in quibus traditæ artis præcepta ſeruantur.

Generis negotialis exemplum.

Argumentum Epiſtolæ.

Cornificius Papirio negotia quædam commendarat, ea, his litteris oſtendit, optare ſe breuiter confici, ſuaque plurimùm intereſſe.

Cornificius Papirio. S. D.

CVm ſuperioribus diebus noſtra tibi negotia commẽdabã, perſpiciebam planè, quantum tibi oneris imponerẽ, quantũ ipſe moleſtię, ſolicitudiniſque ſuſciperes. Sed neque in iſta vrbe quiſquam erat, cui rem tantam committere poſſem, & credere, neque ſi eſſet, committerẽ, quin te priùs monuiſſem, remque totam tecum cõmunicaſſem: in cuius

offensionem venturum me non dudubitabam, si te incolumi, alterius potiùs implorassem opẽ, quàm tuã. Memini enim te ita sæpe dicere solitum; veræ amicitiæ fructũ eum esse vel maximum, cùm, quibus ipsi rebus interesse non possumus, diligẽtiæ nostræ vicariam amicorum fidẽ supponimus. Quod nisi à te edoctꝰ ita fecissem, atque hoc me fructu priuassem, erat sanè quòd ius veteris nostræ amicitiæ violatum à me suspicari iure posses. Quare cũ sciam, hoc te in nos animo esse, ne num quidem verebor, si quid occurrerit, quod ad nostram causam pertinere putem, id ad te quamprimùm deferre, & ad cæteras molestias, quas in ea tractanda quotidie hauris, adiungere. Ac nunc quidem illud mihi videbatur ad rei conficiendæ celeritatem non parum interesse; si Brutum adiutorem in causa, fautoremque haberemus.

mus: cuius auctoritatem, intellexi, apud iudicē valere plurimūm. Quē cùm tā multis beneficijs deuinctum teneres, non dubitabam, te ab eo, quicquid velles, obtinere facilè poſſe. Hominem igitur conuenies, & pro tua prudentia, noſtras partes vt agat, hortaberis; ſi ita & expedire nō ſtræ cauſæ, neque contra tuam eſſe dignitatem iudicaueris. Caue enim putes, quicquā me velle, quod alienum ſit à tua dignitate, vel quod aliquo túo incommodo facturus ſis. Nihil enim mihi aut honeſtum, aut vtile futurum eſt, quod vel exiſtimationem tuam aliqua ex parte lædere, vel obeſſe commodis videatur. Sed hoc mihi venit in mentem, cùm optarem, rem aliquantò breuiùs expediri quàm, vt nunc quidem ſe habet, ſperamus confici poſſe. Quæ ſi ad Calendas Ianuarias cōfecta non ſit, proſpicio iam animo, quanta

quanta meis molestijs fiet solicitudinis, & acerbitatis accessio. Quod quia videre te etiam intelligo, neque minùs te nostra causa, quã nos ipsos laborare, facerem impudenter, si noua aliqua commendatione vterer. Itaque cùm te rerum nostrarum actorem, propugnatoremque mihi propono, omnem solicitudinẽ penitus abijcio, atque in tua admirabili sapientia, singulari industria, cura, ac diligentia, &, quod caput est, amore nostri, beneuolentiaque con quiesco; cùm ea mihi de te semper promiserim, quæ ab amicissimo homine, sapiẽtissimo, rerũq; peritissimo expectari debeant. Domesticis omnibus salutem imperties meo nõ mine. Vale.

Alterum negotialis Epistolæ exemplum.

ARG. Papirius respondet superioribus Cornificij literis, & quominus index negotia expedierit, nobiles quosdam viros, qui Cornelio Cornificij aduersario fauerent, impedimento fuisse confirmat.

Papirius Cornificio. S. D.

NIsi certus essem, meam erga te voluntatem cognitam tibi esse, planeque perspectam, dicerem pluribus, quantum his diebus tua causa laborarim; quantam curam, diligentiamque adhibuerim, vt rem ad Calendas Ianuarias conficerem, ad exitumque perducerem; quod ita gratum tibi fore superioribus litteris ostenderas. Et quidem si rei æquitatem consideres, vix nos negligentiæ suspicionem, crimenque vitabimus, qui rem tam æquam tam longo tempore non obtinuerimus: si verò, quibus cum certandum nobis, pugnandumque fuerit, animaduertas, mirum tibi fortasse videbitur, tandiu nos tam acre cum potentissimis, gratiosissimisque aduersarijs sustinere certamen potuisse:

Noli enim putare, nobis aduerſari Cornelium, qui ſi vt cauſæ ſuæ æquitati diffidit, potentes quoſdam, quorum gratia, atque opibus niteretur, non haberet, nunc nos non laboraremus. Sed quod per leges, & iura ſe conſequi minimè poſſe planè cognouit, id potentia fretus, & gratia per vim, & iniuriam, obtinere ſe poſſe confidit. Itaque habemus aduerſarium nomine quidem Cornelium, re tamen vera principes huius ciuitatis; quos ille ita ſibi deuinxit, vt non minus ipſi Cornelij cauſa laborent, quàm ſi ſua, non illius cauſa ageretur. Quorum gratia non ideo ſolùm nos vehementer oppugnat, quòd nobis ipſi aduerſantur, ſed quod eorum quoque ſtudia, qui nobis fauere, & potuerunt, & debuerunt, magnopere debilitarunt. Qui dum ſe no-

bis amicos esse venditant, opemque, & operam pollicentur, vereri se tamen eorum animos offendere, quos nominari non est necesse, non obscurè testantur. Vt verè affirmare possim, vnam in nostra causa pro nobis æquitatem facere, in nostro verò aduersario contra æquitatem ipsam stare omnes, qui in ciuitate plurimùm possunt, partim quidem apertè, partim autem obscurius. Et tamen, mihi crede, magna in spe sum, fore vt potentium improbitas infringatur, plusque ius valeat, & veritas, quàm aduersariorum vis, & iniuria. Magna est enim æquitatis vis, magna iustitiæ, quæ si opprimatur interdum, emergat tamen aliquando, & appareat necesse est. Quæ fortasse ratio ipsius iudicis animum impulit, vt ad æquitatem iam deflecti videatur. Illud quidem certè

facile mihi persuadeo, optimè il-
lum, è reque nostra sentire; quo
minus autem ante hoc tempus se
nobis æquum præbuerit, è vero-
que sensu iudicarit, coniunctio-
ne familiaritatis, & amicitiæ cum
iis, quos aduersari nobis significa-
ui, impeditum fuisse. Quam ille, vt
quidem ex quodam eius sermone
conijecre potui, dissoluet potius,
quã corrupti iudicij subibit infamiã:
quã, si aliter iudicarit, ac sentire se sa
tis ostendit, vitare non poterit. Ego
quidẽ dabo operã, vt intelligat, qui
de ipsius iudicio aliquando iudicet,
non defuturũ: meq; valde sperare, si
minus eo Pretore cũ maxima ipsius
gloria rem obtinuerimus, fore vt
aliquando ius nostrum cum sum-
ma eiusdem infamia consequamur.
Tu fac bono animo, fortique sis;
neque te tam inuidorum frangat im-
probitas, in desperationemque im-

pellat,

pellat, quàm ęquitas ipſa confirmet, & in ſummam cauſę obſtinendę inducat ſpem. Illud, credo, non expectas tibi vt pollicear, nihil à me pręſtari poſſe vel induſtria, vel opera, vel labore, quod mihi minus ſtudio ſe ſuſcipiendum putem tua cauſa, quàm ſi mea in eo ſalus ageretur, tanta enim tua in me merita conſtãt, vt cùm vitam ipſam pro te profudero, vix ea tibi perſoluiſſe videar. Vale.

Generis moralis exemplaria.

Epiſtolæ laudatoriæ exemplum.

ARG. Rogatus Trebatius à Planco, quid de Curionis vita, moribuſque ſentiret, vt aut illum, ſi vir honeſtus eſſet in ſuam amicitiam reciperet, aut ſi minus probus, ſui illum congreſſu prohiberet, Curionem laudat à triplici honorum genere: eumque Planci amicitia dignum eſſe confirmat.

Trebatius Planco. S. D.

FAmiliaris noster Hieronymus tuas mihi litteras reddidit, quę quò fuerunt longiores, eò maiorem mihi voluptatem attulerunt. Sic enim velim existimes, longissimas quasque tuas litteras, eas mihi iucundissimas semper esse. Voluptatem verò, quam legendis illis percepi, mirum in modum auxit ea clausula, qua petis à me, vt te doceam, quid de Curione clarissimo viro, qui ex hac vrbe nuper in istam commigrauit, quid de eius vita, atque moribus sentiam: vt quoniam is amicus tibi esse cęperat, eã famam, quam de illo quorundam improbitas excitauit, si falsa esset, reprimeres, eiusque obtrectatorum improbitatem frangeres; sin vera coniunctionem gratiæ, & familiaritatis, quam cum eo iam haberes, prorsus dirimeres. Quod ego cùm

Exordiũ ab amore

Propositio.

cùm tua tum etiam Curionis causa libenter faciam: eius, quia id pro nostra amicitia; & tanti viri meritis erga me facere debeo: tua; quia si hominem beneuolentia, & amore complectaris, spero eam tibi coniunctionem iucundissimam fore. Ego sic existimo; eos, qui falsos de Curione rumores dissipant, eius & gloriæ, & nobilitati inuidisse: atque, vt illustriores ipsi videantur, viri clarissimi nomen obscurare; eius laudibus offundere tenebras voluisse. Est enim ortus nobilissimis parentibus, auis, maioribus, qui vt nobilitatis, sic etiam virtutis laude floruerunt, quique maximis sunt in Republica perfuncti muneribus. Quorum amplissimæ fortunæ, atque opes cùm ad Curionem hæreditatis iure peruenissent, in eorum ipse virtutis potius, quàm fortunarum hæreditatem

A bonis fortunæ.

tatem

tatem venire multò sibi gloriosius esse duxit. Itaque ex tam amplo patrimonio ea sibi solùm reseruauit, sine quibus nobilissimus vir, nec vitam ducere, aut satis honestè viuere non posset; reliqua in miserorum hominum inopiam subleuandam liberalissimè contulit. Satis hæc tibi esse deberent, vt Curionem tibi probarem: ex quibus, atque ex ipsius hominis facie, modestiaque vultus singulari facilè tu quidem posses reliqua eius animi ornamenta conijcere. Sed tamen vt studiosiùs, atque diligentiùs sermonibus maleuolorum resistas, qui viro honestissimo, ac probatissimo obtrectant, eximias eius virtutes, non quidem omnes, quod neque patitur literarum breuitas, neque si pateretur, præstare ipse possem, paucis attingam. Atque vt prætereamus eius humanitatem, vrbanitatem, iucundi- A bonis corporis. A bonis animi.

tatem-

tatemque sermonis; quæ quanta in eo sint, non dubito quin expertus ipse iã sis. De singulari illius doctrina illud tantùm dicam; habere eum inferiores multos, superiorem nemi nem, qui cum eo cõparari possint, esse perpaucos. Nam excellenti, summoque ingenio, quo Deus Opt. Max. Curionem ornauit tanta eius accessit industria, ac diligentia, vt mirandum non esset, si vel mediocritate ingenij eam fuisset doctrinæ laudem assecutus. Prudentiam verò & à natura ipse admirabilem accepit, & eandem ille anxit multò maximarum rerum vsu, in quibus est summa cum laude versatus: auxerunt ipsæ litteræ, quæ illum omniũ exemplorum, atque omnis vetustatis peritissimũ effecerũt. De ipsi⁹ verò nõ modò in suos, sed etiam in alienos charitate, ac benignitate quid attinet dicere; cũ eam satis eiusdem in egen-

A doctrina.

A prudentia.

A benignitate.

egentissimos homines profusa liberalitas declararit? Quam & prædicant ij, in quos beneficus ipse fuit, & cæteri huius vrbis ciues admirantur; & quæ ille apud nos tantæ virtutis reliquit monumenta eius memoriam immortalem omni posteritate conseruabunt. Iā ea virtus, quæ vt est cæterarum virtutum firmissimum fundamentū, sic eas facilè continet: qua qui munitus est, non ea solùm quę superbis animis magna, expetendaque videntur, sed seipsum quoque negligit, atque contemnit: quãta in eo sit, quàm studiosè ab eo diligenterque colatur, vel ex eo facilè inteliges, quòd hæc omnia ornamenta, atque animi dotes ita sui despectione contexerit, vt etiam locū dederit ijs, quibus nunquam placuit verum decus, & gloria, vt tam falsos de se rumeres disseminarent, eamq; infamiæ notam æquo, ac libentiani

Ab animi summissione.

mo ſibi ſubeundam putarit. En tibi Curionis maximarũ virtutũ imaginẽ non expreſsi, ſed adũbraui; quæ tamẽ nõ dubito, quin te alliciat, & capiat, magnoſque in te amores excitet ſui. Quare ſi in hac vita, atq; moribus tantã inhęrere maculã, atq; labem non poſſe iudicaueris, quantã Curionis famę, atque nomini inuidi homines inurere voluerunt, eius tu cauſam omni ſtudio, voluntateq; ſuſcipies: & cuius illi laudes maleuolẽtia, ac liuore obterere conati ſunt, eaſdẽ tu prædicationẽ augebis, atq; illuſtrabis tua. Par enim eſt, vt qui honeſtatem ſemper colueris, honeſtiſsimũ hominem defendas, atq; ornes. De quo hoc tibi polliceor, ſi eũ tibi in amicitia, atque amore deuinxeris, maiore fidẽ, probitate, & in te amando, colendo que conſtantia futurum eſſe neminem. Vale.

Epilogus.

Vituperatoriæ Epiſtolæ exemplum.

ARG. Cum Lentulus amicum suum Valerium cum Messino scelerato homine iniisse amicitiã cognouisset, Messini genus, & perditos mores explicat, vt eius amicitiam Valerius dirimat, eumque domo sua prohibeat.

Lentulus Valerio. S.

VAlde solicitus erã, quid ageres, quomodo te haberes tu, tuique omnes, cùm litteras tuas accepi humanitatis, beneuolentiæque plenissimas, quę me de tuarum rerum statu, quemadmodũ quidem cupiebã, docuerunt. Cætera iucundissima, illud periniquo animo legi, quod ais; Messinum perditissimum hominẽ à nostra vrbe propter summa eius scelera expulsum & à te hospitio exceptũ, & amicitia tibi valde esse coniũctũ. Ignarus scilicet, vt mihi persuadeo, qualis eius vita fuerit, quales mores sint, quàm turpes, ac feri, istũ tibi hominem adiunxisti. Quæ si audieris ex me, non dubito quin eum tu tuis ædibus extrudendum putes, quem vrbis mœnibus sui ciues

A malis fortunæ. indignum iudicarunt. De cuius genere, moribuſque ſi quęris, cùm ipſe ſit infimo loco natus, nó modò familiam ſuã nihil nobilitauit, ſed etiã obſcuriorem reddidit: vt licet parentes eius ſumma egeſtate probi tamẽ fuerint, flagitioſi exiſtimẽtur: quòd nemo putet tam perditum filium ab honeſtis parentibus procreari, aut educari potuiſſe. Fortunarum autẽ, copiarumq́ue tãtum habet, quantũ ab honeſtiſsimis ciuibus, ab ornatiſſimis ædibus, à locupletiſsimis, religioſiſsimiſq́ue templis potuit eripere; niſi hoc etiam, quod facilè crediderim, nimia iam illius intemperantia, & luxuries profuſa conſumpſit.

A malis corporis. Te autem miror qui cùm os hominis intuerere, cùm impudentiſsimos oculos, ac perfricatam illam frontẽ conſiderares, cũ totius denique corporis figuram inſpectares, non aliquam ex tot, tantiſque ſignis ſcele-

rati eius animi coniecturā ceperis. Non arbitror, te iam expectare, dū dicam, quibus se ille e artibus à pueritia, quibus studijs dederit, ac disciplinis, qui ne primis quidem litterarū rudimentis imbutus est: qui præceptorem habuit Titionem quendam gladiatorem turpissimum hominem ac sceleratissimum nostrę ciuitatis. In cuius ille schola, vel omnium potius flagitiorum, ac turpitudinū officina cùm diu versatus esset, discipulus tantus euasit, vt idem postea corrumpendæ iuuentutis prçceptor extiterit. Nihil dicam iratus, nihil in illum incensus odio, à quo nulla sum priuatim lęsus iniuria: sed dicā, amore, ac beneuolentia commotus tui: ne tam praui hominis consuetudo, vsusque domesticus aliquam tuo nomini labem aspergat. Nihil, mihi crede, per multos annos in hac vrbe cō missum est sceleris, cuius ille nō solū A malis a nimi.

particeps, ſed etiam auctor fuerit. Quod ſi iſti⁹ hominis facinora, atq; flagitia, quæ nota quidem omnibus ſunt, ſcire velis, facilè ex Theophilo cognoſces, qué ideo ad te miſi, vt omnia tibi ille enarraret, ego paucio ra epiſtolæ committeré; atq; ita rem agerem & cautiùs, & prouidentiùs.

Epilogus. Hîc te rogarē pluribus, tuæ vt exiſti mationi famęq́; cóſuleres, niſi quod feceris, per imprudentiā te feciſſe, arbitrarer. Iſtius igitur hominis amicitiā præcides potiùs, quàm opportunā, ſiquā eiuſdem dirimendæ occaſioné expectandam putabis. Ad tuam enim laudem multú intereſſe video, vt omnes intelligant, ſe tibi Meſsinú inſinuaſſe, cognitú núquā placuiſſe. Quod ſi feceris, & honori, & fortunis tuis conſultum erit. Theophilum ad me quàm primum remittes, cuius opera eſt mihi valde neceſſaria. Vale, noſq; ama vt ſoles.

Expo-

Expostulationis exemplum.

ARG. Audierat Pomponius, amicum suũ Metellum falsos quosdam de se rumores dissipasse: qua de re cum eo expostulat: quod tamẽ ita esse, vt ad se delatum est, quo minus credat, nõnullas rationes affert. Petit in extremo, vt rescribat Metellus, & quam illud sit verum, falsumúe ostendat.

Pomponius Metello. S.

ET, si ex nulla re tantam soleo capere animo voluptatem, quantam ex meorũ officiorũ conscientia, quibus si quãdo pari gratia non respondetur, non moleste admodũ fero: illud tamẽ nescio, quo animo ferri possit, ab eo ipso negligi me, & violari, cuius ego amicitiã maximi semper fecerim, ad quẽ etiã ornãdũ non minimum studia nostra, consilia, industria, atque opera valuerunt. Et quidem Metelle, quod ad amicitiam attinet, sic illam ego integram, inuiolatamque seruaui, nihil vt coniunctius existimarem esse posse, quàm te mihi. Studia vero

Exordiũ à suis meritis in amicum.

nostra, & si non tantum mihi sumo, vt ea te in tã excelso, atque illustri honoris loco cunstituisse confirmẽ, tamen facile concedẽt omnes, ijsdẽ aduersantibus, nemini mirum futurum fuisse, si in inferiori gradu constitisses. Quare mirari satis non possum, quid sit, quod tantopere tuum à me animum ab alienarit, quem tibi semper amicissimum, tuarumque rerum studiosissimum esse cognoueris.

Propositio.

Sic enim multi detulerũt ad me, solere te interdum, postquã ab ista vrbe discessimus, nos in circulis rodere, ac maledico dente carpere, multaque in nostram vitam maledicta cõijcere.

Confirmatio.

Quod cùm audissem, primò quidem vehementer cómotus sum: idem tamen cùm sedatiore animo eadem illa, quę delata erant, cogitassem, teque moresque tuos, ac veterem amicitiæ nostræ conuinctionem mihi proponerem, persuadere

dere mihi non poterã, in tam hone-
ſtam vitam tã turpe facinus cadere:
amicitiam tam longo tẽporis inter-
uallo, tam multiſque officijs confir-
matam labefactari potuiſſe. Quis
enim vnquam probus, mecum ipſe
loquens ſępe dicebã, honeſtę ami-
citię vinculũ ſine cauſa rumpere nõ
maximũ dedecus exiſtimauit? Quis
virili grauitate prędịtus falſa confin
gere nõ turpiſsimũ eſſe duxit? Quis
virtutis, & honeſtatis cultor hone-
ſti nominis gloria quenquã ſpolia-
re voluit? Atqui nemo mihi amici-
tia coniunctior quàm Metellus; ne-
mo neque vir grauior, neque hone-
ſtior cognitus vnquam eſt. Quod ſi
in re aliqua deliquiſſem, vel per im-
prudentiam eius animum offendiſ-
ſem, tamen præ clara illa ſua pruden
tia, qua ſemper excelluit, meũ cri-
men leuaſſet potiùs quã probris me
ac maledictis inſectatus eſſet. Quid

quæris? tantū apud me harū rerū cogitatio valuit, vt illis iam succensere quasi falsis accusatorib9, qui paulò antea meū in te animum non nihil concitassent. Nā & si illorum autoritas, quēuis facilè mouere posset, mea tamen tuæ singularis prudentię, atque virtutis opinio eorū autoritatē facilè vicit. Quare si ita est, vt spero, in amicitia te veteri, amoreque nostri pristino permanere: da operā, vt ad me quā primùm scribas; vt ex tuis litteris & à quib9 ipse sim deceptus intelligā, &, quod tua non parùi interest, multi, qui te iā perfidię insimulant ex veteribus amicis, fidei tuæ constantiā agnoscant. Tu, velim, tibi persuadeas, me in amicitia, & amore, quo in te semper fui, constantissimè permanere, permansurumque quandiu voles. De tua verò voluntate erga nos tuas, ppe diē litteras expecto. Vale.

Epilogus.

Ex-

Expurgationis exemplum.

ARG. Respōdet superiori Epistolæ Metellus, & quod sibi obijcitur falsum esse confirmat.

Metellus Pomponio. S.

REdditæ sunt mihi tuæ litteræ, quas ad me ꝑximè misisti; quæ me dupliciter affecerunt. Nam cùm eas accepissem, eam primò voluptatem cepi, quàm soleo, quoties litteras tuas video: easdem verò cum legere cœpissem tanto sum dolore perculsus, vt ex animatus pene conciderim: vixque illas præ nimio sensu longo tēporis spatio crebra intermissione perlegerim. Caue enim putes, quicquā me vnquam tristius audiuisse, quicquam mihi acerbius fuisse delatum. Scribis enim nunciatum tibi esse, nos in circulis tuo nomini, famæque detrahere. Quod tā insigne mendacium si vnde profectum esset, simul adscriberes, tuis ego

ego litteris respondere, tibíque, & omnibus satisfacere faciliùs possem. Quod licet mihi per gratũ accidisset, in eo tamen sapientiam tuam vehemẽter laudo, qui vel hoc ipso prouideris; ne quem in amicitia retinere velles, is etsi iusta de causa cũ sceleratis hominibus inimicitias susciperet: Sed quo tandem dolore affectus is fuerit necesse est, qui cùm nihil vnquam magis optarit, quàm vt eum tu gratissimum erga te esse cognosceres, improborũ inuidia, atq; scelere factum esse videat, non modò vt non gratus, sed improbus etiã ac perfidus existimetur. Et quidem si quis est, qui virorum illustriũ, qualem te esse, nemo est, qui non prędicet, amicitias & studiosè appetat & diligẽter colat, is ego sum. Sic enim semper censui, tot vnunquenque pręcones habere suæ laudis, quot pręclaros, & excellentes viros

amore sibi, amicitiaque deuinxerit. Cuius igitur amicitiam omni ratione aucupandam putarem, si constituta inter nos, confirmataque non esset, eâ adeptus, nulla meæ fidei, constantiæque ratione habita, sine causa rescinderē? Aut ergo amens ipse sum, planeque desipio, aut nihil eiusmodi commitendū mihi fuit, quod tuū animū posset offendere. In quo mihi deesse, à meque ipso deficere viderer potiûs, quā honori, atque laudi aduersari tuę: quę tā illustris est ipsa per se, vt nullius odio, ac maleuolentia aut obscurari posit, aut minui. Plura in hanc sententiam dicerem, nisi tuam epistolam ita clausisses, meas te propediem expectare litteras indices cōstātię meę. Quare aut hæc satis sunt, si vlla orationi nostrę habenda fides est: aut si meū probare animū epistola mea non poterit, ne his quidē tā multis opus fuit.

Ego verò, qui, quo in te animo sim, conscius, mihi sum, & qui mei sermones de te sæpe fuerint, & quã honorifici, testificari plurimos posse certò scio, facile patiar vniuersos ciues nostræ vrbis constantiæ meæ testês citari. Sũma igitur illa sit, vt nostrum tu animum experiare cũ voles; quem nihil certe immutatum reperies: aut ex eã quidẽ parte, quòd hac tam insigni maleuolorum iniuria, atque improbitate magnus eidẽ amori tui, quem augeri vix posse crederẽ, cumulus accẽsserit. Vale.

Epilogus.

Epistolæ Suasoriæ exemplum.

A R G. Suadet Papirius Lepido, vt cũ parente suo redeat in gratiam, à quo dissidere illum ex eiusdem Lepidi familiariũ litteris cognouerat.

Papirius Lepido, S.

Exordiũ à sua in Lepidum auctoritate.

SI quantum tuus nostri singularis amor apũd te semper valuit, tantũm hoc tempore auctoritas nostra valeret, sperarem, me id à te meis

litteris

litteris impetrare facile posse, quod si concedas, non minus tibi gloriosum, quàm mihi gratū, iucundumq́; futurum, certò scio. Sed spero tamē te ita facturum, vt plus etiam, quàm debeat, mea apud te valeat auctoritas; ne quid de tua in me beneuolentia, atque amore imminutum esse videatur. Me mi Lepide, vt tuarū maximarum virtutum commemoratio delectat: sic angeret vehementer, si quid in tam honesta vita exisleret aliquando, quod eius splendorem vel minimum obscuraret. Quod ne accidat, cùm incredibilis meus in te amor, timere me cogit; tum hoc tempore multò magis vereor, quòd ex tuorum litteris intellexi, te à parentis tui viri optimi voluntate dissidere: Quod & si pro tua in illum perpetua obseruantia, eximiaq́ue pietate satis mihi persuadere nō potui, tamen & commotus valde

tùm illo nuncio, & meũ eſſe ſtatui, quã primũ ad te litteras mittere, qui bus tibi perſuaderem, ſi quid eſt tua culpa commiſſum, quod parẽtis tui animũ offenderit, totũ id corrigas, & cũ eo redeas in gratiam. Sin verò magna aliqua cauſa interceſſerit, vt ab illo diſſentires, tamen cogites, ſic de te homines iudicaturos, vt omnem in te culpã conferendã putẽt.

Ab honeſto.

Atque illud primũ cũ animo tuo cõſidera; nihil eſſe, quod filios æquè ornet, atque cõmendet, ac diligentẽ in parentes cultũ, pietatẽ, & obediẽtiam. Quæ virtus tantũ adoleſcentibus decus affert, & ornamentũ, vt ſi illa adſit, quæ in eis vitioſa ſint facile obruat: ſi contra eadẽ deſit, cęterę virtutes non appareant. Et quidẽ te, mi Lepide, & ſi cęterarum virtutum ſemper commendatione claruiſti, tamen in iſta tanta apud omnes gratia, atque laude tua pręcipuè in parẽtes pietas,

pietas, quæ viſa omnibus ſemper eſt admirabilis, collocauit. Quare ſi talis eſſe vis, qualem te perpetuò eſſe iam inde à pueritia animo ſtatuiſti, & qui te diligimus futurũm eſſe ſperamus; hoc eſt virtutum omnium cultorem, hæc eadem virtus, quæ tuæ laudis fundamenta iecit, atque erexit, eamdẽ ipſa perficiat neceſſe eſt, ad ſummumque deducat. Illud etiã cogitare debes: quàm pendeât à parente tuo vitæ tuæ rationes, in quo omnes ſpes ornamentorum tuorum poſitæ, atque locatæ eſſe debẽt: quẽ vtrum offenſum, ac iratum; an verò beneuolum, tuæque laudis ſtudioſum habeas, multum quidem intereſt, vel ad ſummos honores, quos petis conſequendos, vel ad ſempiternum dedecus ſuſcipiendum. Etenim iſtis tuis præclaris conatibus ſi pater tuus faueat, quid efficere auctoritate poſsit, & gratia, profectò vides: idẽ ſi te Ab vtili.

si te desertum à se patiatur esse, propter neglectam à te pietatem, ad quem tandem tibi confugiendum putas? Reuoca igitur te, atque ad te ipsum redi: & cùm hæc cogitaris, non dubito quin factum tuum reprehendas, desque operam diligenter, vt parentis tui animum omni ratione lenias tibique restituas: præsertim cùm multa ille signa iam dederit, (quod ex iisdem tuorum litteris facilè intellexi) animi erga te mitigati. Quæ parentis tui indulgentia tuam multo magis pertinaciam condemnabit; si quod ille tua causa velle se ostenderit, id tu obstinatione quadam animi repudiaris. Sed mihi iam videor in te monendo oratione vti longiore, quàm necesse est, resque ipsa postulat. Quid enim opus est monere filium, parentes vt amet, & obseruet; qui ab ipsa natura amoris

A facili.

A necessario.

ris legem habet animo inſcriptam, quæ priùs deleri non poteſt, quàm ipſa ſit immutata natura? Quare quod aliquãdo allatura eſt ipſa dies, vide, per Deum immortalem, quanto tibi erit gloriosius, consilio id ante capere: neque expectare dum ipſum tibi tempus partam ſuperiori ætate pietatis laudem eripiat. Illud verò cuiuſmodi ſit, iam credo, planè ipſe perſpicis, poſtquam primi illi animi impetus reſederunt: eius te vnum amorem abijcere, quem omnes boni propter excellentem eius virtutem admirabili quadam beneuolentia complectuntur. A cuius voluntate ſi diſsideas, omnium in te ciuium odia conuertes; quibus nemo, qui parentem tuum oderit, charus eſſe poteſt. Sed hæc multò meliùs tibi iam ſuadet ipſa ratio, perſuadebitque ſi illam audies, quàm noſtra vel oratio poteſt,

A perſona parentis.

Epilogus.

vel auctoritas. Quoniam tamen intelligo, solere te meas litteras liben legere, nō sum veritus, ne si hoc tēpore longiores darem, aliqua te afficerent molestia. Tuas ego expecto quotidie, ex quibus cognoscā, quātū ipse profecerim; vel potiùs, quod ego de eximia tua prudentia, præstātique virtute valdè spero, quàm nō fuerit necessaria nostra suasio. Itaq; me interim ad gratulationem comparabo, vel quia id, quod à te petimus, nostra causa, vel quia tuo iudicio multò antea, & voluntate feceris. Vale.

Exhortationis exemplum.

ARG. Cælius Sulpitium exhortatur, vt pergat in litterarum cursu, in quo cùm longiùs processisset studio militiæ incensus arma cogitabat, litterarumque studia relinquere deliberabat.

Cælius Sulpitio. S.

Accepi tuas litteras, quas mihi reddidit vir honestissimus frater

ter tuus: quibus ais, velle te litterarũ ſtudia relinquere, ac militiæ nomen dare: quod tuum conſiliũ à me probari non ſolùm cupis, ſed etiam petis. In quo primùm agnoſco multis antea in rebus ſatis mihi perſpectum amorem tuum, qui nihil decernere, niſi ex meo conſilio, conſtitueris: deinde magnam mihi ſpem afferũt ipſæ tuæ litteræ, fore vt, qui ex mea ſententia pendere ſe dicat, meis facilè cõſilijs acquieſcat. Ego verò Sulpiti te non moneo ſolùm, verũ etiã hortor, vt teneas eum vitæ curſum, quẽ, ſicuti ego exiſtimo, Deo opt. max. duce ingreſſus es. Video equidem, quò tua mens, animuſque ſpectet; qui cùm laudis, & gloriæ cupidus ſemper fueris, eam longè poſitã arbitratus, ſi iſtam ſtudiorum rationẽ ſequaris, compendiariã viam quęris, quæ te breuiori ſpatio ad optatũ finem deducat. Sed quando vnus te Propoſitio. Ab honeſto:

mouet, atque incitat laudis amor, non ea tibi quærenda via est, quæ breuior esse videatur, sed quæ facilior sit, & certior ad gloriam. Quare nulla planè res est, mihi crede, quæ magis nomen tuum amplificare possit, quàm studia ista optimarũ artiũ, quæ feliciter inchoasti, in quibusque iam diu summa cum laude versaris. Quod si tu bellicam laudem cum doctrinę gloria comparare velis, quantum ab hac illa superetur facilè iudicabis. Illa enim bellica laus, quæ post maxima pericula, vitęque discrimina comparari aliquando solet cum morum feritate sæpe coniungitur; vt quantum vires, & corporis robur honoris afferant, tantum detrahãt dignitatis: hæc verò gloria, quæ nascitur ex præclarissimis artium studijs, & sanctissima sacrarum litterarum disciplina, eô est illustrior, quòd qui eam assecutus

tus est, ex eodem fonte, ex quo do-
ctrinam hausit, & diuinarum rerum
cognitionẽ, virtutẽm simul, & mo-
rum probitatem existimetur hausis-
se. Atque hæc quidem ipsa sibi satis
est, illa sine huius commendatione
aut nulla prorsus est, aut inanis. Ha- A facili.
bet hoc etiam præclara hæc laudis
quærendæ, & comparãdæ ratio mul-
tò quàm illa commodius: quòd illa
lateribus, gladiatorijsque lacertis in-
diget: hæc non tam vires corporis,
quàm ingenij, neque tam valetudi-
nis integritatem, quàm mentis sani-
tatem desiderat. Ergo hanc tu, quem
excellenti quodã Deus opt. max.
donauit ingenio, affecta etiã valetu-
dine, in otio ac domi tuæ cõparare
facilè poteris; ad illã ꝑpter belli peri-
cula, varios, incertosq; exit⁹ prælio-
rũ tã incerta via est, vt mors imma-
tura timenda potiùs, quàm speran-
da sit gloria. Iam verò si disciplinæ

militaris, commoda cum doctrinæ, ac ſapientiæ fructibus cõparentur, quanto interuallo ab his illa vincantur, quis non videat? Nam præter illam animi iucunditatem, qua nulla profectò maior eſſe poteſt, quæ ex ipſis rebus in natura reconditis, atq; abſtruſis animo tractandis, cognoſcendiſque percipitur: qua nam via alia, vt nunc quidẽ eſt rerum humanarum curſus, ad maximarũ opum, & facultatum poſſeſsionem, ad ſummos honores faciliùs peruenitur, & altiſsimum gradũ dignitatis? Quàm multos hac noſtra tempeſtate ex humili abiectaque fortuna ad altiſsimũ honoris locũ extulit ſapientia, atq; opibus auxit ampliſsimis? qui profectò iacerent in tenebris, niſi litterarum lumen, vt illorum mentes illuſtrauit, ſic etiã nomina clariora reddidiſſet. Quorum quidem exempla animum tuum confirmare, & ad reli

Ab exemplis.

quum

quum studiorum tuorum cursum inincitare, inflãmareq; deberent. Prę sertim cum aliter facere tibi iam sine summo dedecore non liceat. Quis enim te non inconstantiæ, leuatisq; accusabit, si cùm tot annos in littera rum studio posueris, tot sumptus feceris, tantã de te opinionem conciaris, tamen vertas ad extremũ omnia, parentisque tui optimi viri spes, atque tuorum ciuium eludas? Quod tu tantum dedecus, quando tam es laudis appetens, atque gloriæ, si vitare velis, in pristina mente pęrsistas necesse est. Quòd si contētio te, cęt tamenque delectat, si cum hoste confligere; tibi est aduersaria prompta, atque parata incredibilis quædã hominum expectatio, quam vt vincas, omnes quidē debes animi vires, nęr uosque contēdere. Omnia enim omnes à te expectant, quæ ab homine clarissimo, atque honestissimo, sum-

A necessario.

Ab expectatione.

A laude.

moque ingenio prædito expectari debent. Quæ tibi victoria multò erit profectò glorioſior, quàm omnes bellicæ laudes, atque etiam triũphi eſſe poſſent. Quam tu, eo magis conari debes adipiſci, quod habes multos clariſsimos adoleſcentes ſtudiorum ſocios nobilitate fortaſſe pares, non tamen ſuperiores ingenio, à quibus eadem expectantur, quæ à te ipſo, qui ſi in hac litterarum paleſtra victores pronunciantur, tibique lauream, palmãque præripiunt, non id tibi erit minus turpe, quàm illis glorioſum. Iam illud, quod extremo loco pono, quanti apud te ponderis eſſe debet? Te vnum, parente iam tuo ſenio, atque morbis pene confecto, familiæ tuæ reliquũ eſſe, in quo illa ſpes ſuas omnes fixerit, atque locarit. Pone tibi ante oculos, vt prætercam cæteros, qui à te vno pendent, ſorores tuas præclariſsimas

Ab æmulatione.

A cõmiſſeratione

rissimas fœminas, non tam opibus & copijs ornatas, quàm generis nobilitate, ac virtutis laude conspicuas; eas tu à te desertas patieris esse, & in perpetuo squalore, luctuque iacere? quæ sic existimant: cum te amiserint, simul se maximorum ornamentorum spem esse amissuras. Quę omnia cùm ita sint, mi Sulpiti, si quid apud te mea auctoritas valet, si quid amor, quo te semper cõplexus sum: si quid tuorũ amicorũ studia, parentis tui voluntas, sororũ etiam tuarũ lacrymę, te maiorem in modũ oro, atque obsecro pro mea in te perpetua beneuolentia: pro ea spe, quam non solum tui, sed omnes etiam boni ciues de te susceperunt, pro pietate, quam parenti tuo, ac familię debes, vt quã vitæ rationem & probasti aliquando, & tua voluntate suscepisti, eam maxima omnium approbatione, & expectatione, tuã etiam Epilogus.

cum

cum eximia laude retineas. Quod meum consilium, tibi confirmo, secutum te fuisse, nunquam pœnitebit. Te autem ita esse facturum, de tua singulari prudētia mihi facilè polliceor. Vale.

Admonitionis exemplum.

A R G. Lucius vir grauissimus Balbum adolescentem ludo plus nimio deditum monet, vti se admeliorem vitæ frugem recipiat.

Lucius Balbo. S.

Exordiū ab amore. MEum ergo te animum, & amorem in rebus neque exiguis, neque obscuris satis tibi cognitū esse, atque perspectū intelligo. Sic enim statui, ex quo die vir optimus pater tuus è vita discedens te mihi cōmendauit, nihil vt in reliquum tēpus tua salute charius mihi esset. Itaque ex eo die nullū prætermisi tēpus de iis, tum quæ ad honorem tuū, dignitatem-

tatemque augendam, tum quæ ad animi saluté pertineant aut agendi, aut cogitandi. Quod cum semper fecerim, tum hoc tempore valde sum solicitus tua causa, cum te nostris consilijs indigere audiã. Sic enim ac cepi: nimiũ te ludo esse deditũ, atq; in eo multũ temporis ponere, nulla ratione habita dignitatis tuæ. Quã de re illud te mi Balbe ad monendum putaui: te vt colligas; consideresq; quanta cũ iactura honoris tui in eo vitæ genere versandũ tibi sit, quod qui secuti sunt male semper apud ciues suos audierunt. Quod quidẽ vitium præterquã quod maximũ per se est, habet hoc etiam, vt sit quasi seminarium malorũ omnium. Respice igitur ante actã tuã vitã, cũ omnia vnius virtutis momento pendebas; & in quẽ locum veneris considera; tum denique senties, quã turpe tibi sit, à te ipso defecisse, planeque

Propositio.

A turpitudine.

Ab inutili neque dissentire. Sed quid rogo te, tantopere te delectat in eo, ex quo nullum commodum video, nullam voluptatem, quæ quidem acerbitate careat, percipi posse? Tu tibi optimus es testis, plus te adhuc ex eo molestiæ, & acerbitatis quàm voluptatis percepisse. Quãta verò ex turpi ludo proficiscantur incommoda, (prætereo illa quæ animi sunt atque verè censenda mala) si nondum expertus es, multorum profectò ciuiũ rei familiaris facta naufragia docere te facilè possunt, quos istius libidinis æstus absorbuit. At eorum scilicet reprehensionem times, qui falso amicitiæ nomine se tibi adiunxerũt; si cùm te ad ludum inuitarint, eorum voluntati non obtemperes, vel potiùs libidini seruias. Hoc si ponderis aliquid habere putas: nę tu illius paternæ disciplinæ memoriam ex animo penitus abiecisti; quæ te profe-

profectò sic ad honestatem, virtutemque instituit, ac informauit, vt ex ea didiceris vnam virtutem cæteris rebus omnibus anteferre. An verò illi pudore nullo deterrentur, quò minus id à te petant, quod turpissimum est; tu quo minùs id concedas, salutique tuæ consulas, pudore aliquo, ac verecũdia impedieris? Quos si semel à te excluseris, atque reieceris, mihi dubium non est, quin cùm se à te neglectos esse videant, tuo te arbitratu viuere facilè patiantur. Dicerem plura amore inflammatus tui, ac de tua salute, commodisque solicitus; sed neque tua prudentia, qua hæc omnia, atque plurima alia iam videris; neque tuus in me amor, qui te profectò meis consilijs cogeret acquiescere, quando ratio ipsa non impelleret, me in te monendo longiorem esse permittit. Illud tantùm dicam, satis ferè Epilogus.

consul-

consultũ & honori tuo, & saluti animi sempiternę, si & qualis adhuc fueris, & qualis esse debeas, & quid de te homines expectent, cogitaris. Mihi verò, si quid mea causa velle debes, debes autem, vt minimum dicã, hoc ipsum quod peto, nihil gratius facere potes, quã si huic nostro consilio, si & fidele, & salutare tibi videatur, acquiescas. Vale.

Epistolæ Consolatoriæ exemplum.

ARG. Trebianus Acilium virum optimum ab improbis hominibus falsò accusatum, ob eamq; rem in carcerem coniectum consolatur.

Trebianus Acilio. S.

Exordiũ à doloris societate.

CVm mihi renunciatum est de tristissimo tuo casu, tantum dolorem animo percepi, vt nihil vnquã grauiùs, molestiusque tulerim. Itaq; & si pro amicitia nostra, meaque in te beneuolentia officij mei existimabam

mabam esse, aliquid ad te litterarum dare, quibus leuarem dolorem tuũ, tamen in summo meo luctu, quam tibi possem consolationem afferre non reperiebam. Sed cùm mihi veniret in mentem, eum te esse, qui me quondam in causa non dissimili amicissimè monere, sapientissimeque solebas, vt eorum, qui meam salutem affligerent, iniuriam fortiter ferrem, illa eadem, quæ tute mihi proponebas, quibusque tum dolorem meum leniri, leuariq; plurimum sentiebã, proponere tibi volui, vt qua mihi tũ vtendum esse medicina censuisti, eadem ipse vtaris hoc tempore: eamq; tuo vulneri, & quia tua est, & quia probatissima illa quidem, libentius adhibeas. Reuoca nũc igitur in memoriam, quod tam libenter vsurpare sæpe soles: mortales nos esse, eã lege, & conditione natos, vt plurimis malis, atque incommodis pro- A commune conditione.

G posita

posita sit vita nostra: neque debere nos eos casus, qui neque prudentia vlla prouideri, neque vitari consilio potuerunt, ita iniquo animo ferre, quasi nihil aduersi nobis vnquam accidere posse putarimus. In quibus maximum illud certè solatium probis viris esse solet; si nihil, quare ij euenerint, eorum culpa commissum est: à qua tu cùm tam longè absis, quàm omnes boni & existimãt, neque obscurè prædicant, tua te recta conscientia & sustentare, & consolari debet. A qua ne illud quidem satis est, si præsentis doloris consolationem, nisi etiam futuræ voluptatis iucunditatem petas. Quid enim esse potest bono viro in commemorando iucundius, quàm si quid molestum, atque acerbum sine vlla sua culpa Christi causa, aut ore que pertulerit. Quo solatij genere eò vtor libentius, quod valdè sperem, tui

A recta conscientia.

A mali breuitate.

acer-

acerbissimi casus memoriam tibi breui tempore iucundissimam fore. Nã & eam de tua innocentia, non solùm cæteri omnes boni, sed ipse etiam iudex opinionem habent; vt omnium voluntate, atque iudicio, quod ego facilè intellexi, absolutus ipse iam sis; neque verò tua causa ea est, vt licet plurimi saluti tuæ aduersentur, diutiùs possis in ista acerbitate versari. Infracta enim insidiorum improbitate, patifactisque eorum consilijs sceleris, atque insidiarum plenis, illorum potentia depressa, veritas emergat aliquando necesse est, atque tui animi integritatem ostendat. Quo fiet, vt perditorum hominum iniuriæ, quibus illi existimationem tuam, atque salutem lædere conati sunt, amplitudinem tuam magis illustrent: plusque tua in eis tolerandis constantia prosit ad gloriã, quàm scele- Ab vtili.

rata eorum consilia, ac nefariæ fraudes ad aliquid tibi conflandum inuidię valuerunt. Quare fac bono animo, ac forti sis; quo quia te esse omnes existimant, qui prudentiam tuã, admirabilemque sapientiam cognouerunt, eò maiorem constantiæ rationem habere debes: cuius quidem fructus, si te ita gesseris, non ad breue quoddam tempus, sed ad omnem vitam, vel ad omnem potiùs æternitatem tibi constabit. Cuius quidem spe diuinus ille Paulus excitatus, atque erectus, cũ ligatus vinculis detineretur in carcere, molestiam illam nõ solùm æquo animo, sed libenti etiã, ac iucundissimo tolerabat. Atq; hęc illa sunt, quę ex sapientię tuæ augusto fonte consilij egentissimus, & consolationis quondam hauseram; quæ non ideo ad te refero, quòd illum tibi sitire putẽ; sed quia fieri potest, vt si in istis molestijs paulò con

Ab opinione hominum.

Ab exemplo.

Epilogus.

turba-

turbatior animo sis, minùs hæc fortasse videas, quàm cùm tranquillo, sedatoque animo eadem mihi medicinæ loco proponebas. Quę autem mea sunt quæq; à me præstari possunt, sunt quidem leuissima, si cum ijs, quæ modò commemoraui, comparentur: sed quicquid tamen studio, fide, opera, auctoritate valuero, id omne sic ad te defero, vt si quid ad tuam causam pertinere intellexero, mea sponte facturus sim: si qua de re admonitus fuero, eam ita suscipiam, vt nihil mihi aut difficile tua causa, aut parum iucundum futurum sit. Vale.

Petitionis exemplum.

ARG. Cornelius petit à Mario, vt emittat è carcere Domitium, quem ob pecuniarum debitionē, in vincula coniecerat, eique, quia soluendo non est, solutionis tempus differat.

Cornelius Mario. S.

ET si non multos post dies istuc me ventutum putabam, vt dū- Exordiū ab eius laude à quo petitur.

 aliqua

aliqua vacatio à negotijs datur; ex tuo conspectu, quo egerrimè careo, & ex suauitate consuetudinis tuæ, qua nihil mihi potest esse iucundius, fructum eum repeterem, quem, cùm istic essem percipere solebam: tamē rei magnitudo facit, ne expectem id à te corā petere, quod de tua singulari humanitate valde spero, te mihi etiam absenti concessurum. Domitium hominem virtutis magis, quàm facultatum opibus instructum, cognati ex eius filio optimo adolescente paucis ante diebus imperio tuo coniectum in carcerē; quòd pecunias, quas tibi debet, ad diem non soluerit. Is à me cum multis lacrymis petijt, vt quoniam intellexerat, inter me, ac te plurimas summæ necessitudinis, atque amicitiæ causas interesse, teque velle omnia mea caussa tecum agerem, teque obsecrarem, vt quando eius pater multis

Propositio.

affectus difficultatibus soluendo nõ est, neque ante Kalendas Martias, vnde pecunias comparare possit, habet, solutionis ei tempus ad illum vsque mensem prorogares. Rogare te pluribus, ne velis afflictum hominem perdere, si aut ipsius rei æquitas id pateretur: aut etiam non arbitrarer, id te ita facere, non minus ad tuam laudem, quàm ad Domitij commodum interesse. Nam & si hominis causa probi, atque honesti, cuius opera multis in rebus vti sæpe soleo, laborare plurimùm debeo, neminem tamen tanti facio, vt non omnium commodis, atque vtilitatibus voluntatem tuam anteponendam puterim. Sed cùm ille in summa necessitate nummaria satisfacere tibi cùm maximè velit, non possit, existimabam prudentiæ tuę esse, id tua sponte concedere, quod vt facias, ipsa te etiam inuitum necessitas

Ab æquitate rei.

A necessario.

Ab hone-ſto: cogit. Quo illud etiã conſequeris, vt hoc beneficium tuum potiùs exiſtimetur, quàm temporis; retinebiſque eam humanitatis laudem, quam multi alij grauioribus in rebus experti ſunt. Quare peto à te quàm ſtudioſiſsimè poſſum pro coniunctione noſtra, amoreque mutuo, vt qui aliorum inopiam etiam alieniſſimorum multa largiendo ſubleuare ſoleas, huius hominis mihi coniunctiſsimi, deniqque bene meriti miſeriæ opem feras: non quidem pecunias illi condonando, quod non petit, ſed ſolutionis tempus differẽdo, quod beneficij loco dari ſibi implorat, & flagitat. In quo vides etiã quid

A perſona, qui petit. mea quoq; interſit, cùm ille ſic exiſtimet; omneſque de noſtra amicitia iudicent, nullã rem tam eſſe difficilem, quam à te impetrare non de-

Epilogus. beam. Fac igitur, ſi me amas, ne quis hanc noſtræ coniunctionis opinionem,

nem, non esse veram suspicari possit. Quod si feceris, vt spero, & quod ipsum consequitur, vt Domitius emittatur è carcere; primũ rem facies profectò te dignã; ipsum deinde hominem tibi in perpetuum deuincies, & me nouo, atque maximo beneficio cumulabis. Vale.

Epistolæ Commendatitiæ exemplum.

ARG. Pomponius commendat Curio virum & honestum & doctum Ligarium, petitque ab eo, vt illi in collegij petitione faueat.

Pompeius Curio. S.

LIgarius vir honestissimus, qui meas tibi litteras reddet, iam inde à prima ætate sic mihi charus est, vt in eo diligendo ne parẽtibus quidem eius viuis concesserim; nũc eis extinctis, omnes eius necessarios facilè vincam. Nam & puer adhuc magnam mihi spem dedit summæ probitatis, excellentisque doctrinę, & postquam adolescere cœpit, sic litterarum studium cum virtutis amore

Exordiũ à laude eius qui commendat.

coniunxit, vt probitate par honestissimis, ingenij, & doctrinæ laude omnibus suis æqualibus, quibus cũ studia illi erant communia, superior haberetur. Is eo animo in istam se vrbem confert, vt in qua academia adolescentiæ suæ ætatem in optimis studijs consumpsit, ex eadem suarum vigiliarum, atque studiorũ fructum ferat. Eum satis magnum existimat fore, si in amplissimum collegium quod petit, cooptetur: in quo suum virtus, atque doctrina domicilium collocauit: & ex quo ad maximos in Repub. honores fit gradus.

Petitionis ratio.

A persequentis.

Huius hominis tam laudabile studium, quoniam excitatum iam sua sponte mea ipse hortatione inflammari, valde cupio, ne aliter illi res accidat, atque sperare cœpit. Et quamuis suum doctrinæ, atque virtuti deesse præmium non potest, tamen in tanto numero eorum, qui eundem

eundem honorem petunt, verendum sanè est, ne potentum gratia, virtus, doctrinaque vincatur; præsertim si illustris illa, hæc paulò sit occultior. Quò igitur hæc spectant? vt Ligarium tibi ita commendem, vt commẽdari solentij, qui nobis sunt in vita charissimi, & quorum rebus non minùs studemus quam nostris. Valde enim mihi persuadeo, facilè illum consecuturum quod sperat & ipsi cupimus, si te habeat & fautorem suæ laudis, & prædicatorem doctrinæ, eximiæque virtutis. Auctoritas enim tua, tuæque probitatis, & æquitatis opinio omnes omnium gratias facilè vincet. Quare si præclaris ingenijs delectari soles; si honestis hominibus fauere gloriosum semper putasti, Ligarium suscipe, atque orna, apud quem mihi crede, tuum beneficium pulcherrimè collocabis. De quo illud tibi polliceor, ex illius

A studio petentis.

Ab authoritate eius à quo petitur.

Epilogus.

A

illius memoria beneficij tui magnam te voluptatem esse capturum. Ego verò quidquid in eũ contuleris, tanti faciam, quanti si mea, non eius causa laboraris. Vale.

Gratulatoriæ Epistolæ exemplum.

ARG. Pompeius gratulatur Ligario, quem ex eius litteris cognouerat, in amplissimum collegium esse cooptatum.

Pompeius Ligario. S.

Exordiũ à voluptate quam cepit. POstquã te, ex tuis litteris cognoui, in amplissimũ collegiũ, quod petebas, fuisse cooptatum, nihil mihi fuit optatius, quàm vt tibi per litteras gratularer: quæ facultas cũ non daretur, propterea quod rarissimi sunt, qui istuc à nobis proficiscantur, grauiter sanè, molesteque ferebam. Gratulatio. Nunc tandem occasionẽ scribendi nactus, tibi ita gratulor, vt nemini concedã, qui maiorem ex tua laude lætitiam, voluptatemque perceperit. Qui enim in te amando superiorem neminẽ agnoscit, nemini profe-

profectò inferior esse debuit, qui tuis bonis lętaretur. Neque verò iã tua solùm, sed mea etiam causa lętari debui: cùm ex tua & ingenij, & virtutis gloria maximum ipse fructum ceperim; qui ea de te bonis viris semper promiserim, quæ tu cumulatissimè persoluisti: vt tua maxima gloria cum aliqua mea laude non possit nõ esse coniuncta. Eã verò vt augeatur quotidie magis, & opto plurimùm, & ipsum immortalem Deum precor quàm enixè possum. Ea enim de te, de tuo ingenio, doctrina, atque moribus opinio mihi est, vt valdè sperẽ, si in aliquam Reipu. administrandæ partem aliquãdo veneris, quod abesse diu non potest, magnos ex te Remipsam publicam fructus esse laturam. Atque hîc ego te pluribus hortarer, vt vel eorum exemplo, qui ex isto collegio amplissimũ in Repubica locum tenent, magna tibi

Bene precatur Lagario.

propo-

proponeres, ad ſummaque conten-
deres: neq; quicquã exiſtimares ho-
noris, & dignitatis alicui eſſe delatũ,
quod nõ expectare ipſe debeas, niſi
tuos iam ab ipſa pueritia ad veram,
& ſummam gloriam præclaros im-
petus noſſem. Itaque pro meo in te
amore ſingulari illud tantum dicam:
ſi te tibi laudis, atque gloriæ æmulũ
propoſueris, ſi tecum ipſe certaris,
nullũ eſſe tantũ in Rep. mun⁹, quod
non facilè conſecuturus ſis. Cũ præ-
ſertim in creandis magiſtratibus, pu-
bliciſque honoribus impertiendis
ſumma Chriſtianiſsimi Regis proui-
dentia illa omnino hoc tempore hã
beatur ratio, vt honores optimis, at-
que ſapientibus viris delati, non ab
ipſis quęſiti eſſe videantur. In quo-
rum tu numero quoniam eſſe vis, &
omnium quidem iudicio iam diu es,
verę virtutis, atque ſapientię prę-
mio diutius carere non potes. Sed
quo-

quoniam quę laudis tuę sunt,ea pro eximia tua summissione animi minus libenter audire soles,hoc me attigisse satis sit, quod meus erga te amor tacere nō potuit. Ego verò cū pio ad illud vsque tempus spiritum ducere, quo & spem eam, quam de te ipse concepi,certam,ac verā fuisse, lætari cum tuis, & tibi atq; adeo mihi ipsi gratulari possim. Vale.

Gratiarum actionis exemplum.

ARG. Papirius Theophilum in magno vitæ discrimine consiliorum ope, auxilioque seruatum: illi idem Theophilus pro tam singulari beneficio gratias agit.

Papirius Theophilo salutem.

ET si prolixam tuam,beneficamque naturam admirātur omnes, cūm tam multi sint qui ex te vberrimos liberalitatis tuæ fructus tulerint; tamen nemo est, cui id ipsum plus admirationis,quàm mihi ipsi attulit

ipsi

ferre debeat. Nam tua quidẽ in alios eximia beneficia grati fortasse animi testimonia videri potuerũt; qui quæ accepisses cumulatè redderes; aut certè in eos collata, à quibus aliquid gratiæ beneficiorum similitudine expectari posset. In me verò vt tantum beneficiũ contuleris, neque vlla officia in te mea, neque paris gratiæ expectatio, neque alicuius denique fructus spes tuum mouere animum potuit. Quare huius tuę beneficentiæ laus eò maior videri debet, quòd fuerit se ipsa contenta; neque alium in benefaciẽdo fructum spectarit, quã ipsum benefacere; in quo diuinam quidem ipsam in homines liberalitatem, ac benignitatẽ imitatus es, quæ vna ad benefaciẽdũ bonitate, & charitate moueatur. Itaque iam & si tuũ beneficium tanti facio, quanti meã apud me salus esse debet, quæ mihi tua causa restituta est; tamen pluris illud

illud profectò facio, cùm ex quo animo profectum sit, mecum ipse considero: vt non minorem ex tuo isto tam præclaro naturæ bono, quàm ex mea ipsius salute voluptatem capiã. Quòd verò ad me attinet, quid polliceri posśim, nó video, cùm vel ad agendas tibi gratias ne verba quidem suppetant. Sed quando aliter gratus esse non possum, hoc semper futurus sum, vt colam tui beneficij memoriam sempiternam. Si quid verò aliquando, vel opera, vel industria etiam cum ipsius vitæ discrimine tua causa præstare potero, nihil mihi accidere iucundius poterit, quã me tibi non verbis solùm, sed re ipsa quoque gratum videri; & si vita ipsa profundenda sit, vt à quo illam acceperim, eidem reddita esse videatur.

Vale.

Officioſæ Epiſtolæ exemplum.

ARG. Petierat Gallus à Torquato per litteras, vt ſibi laboranti adeſſet, atque opem ferret: Torquatus ſua illi ſtudia, atque operam pollicetur.

Torquatus Gallo. S.

GRatiſsimæ mihi acciderunt tuæ litteræ, adderem, periucundæ, niſi tuus dolor omnem mihi iucunditatem abſtuliſſet. Sed ſcito, nihil mihi gratius accidere potuiſſe, quàm quod ex tuis litteris humaniſsimè ſcriptis intelligo, me à te plurimùm amari, quo cum res tuas communices, & cuius conſilio, atque opera vti velis. Ego, mi Galle, ſic te ſemper dilexi, charumque habui, vt neminem vnquam maiore fuerim amore, beneuolentiaque complexus. Quæ mea in te voluntas ſi paulò his temporibus obſcurior fuit, id quidem fecit falſa quædam immutatæ tuæ voluntatis opinio; in quam me nonnul-

nonnullorum hominum improbitas adduxit: qui, esse me quo eram in te animo, molestiùs fortasse ferebant. Nunc verò voluntate tua in me cognita, atque perspecta, dabo diligenter operam, vt sarciam longi temporis officiorum iacturam, quam à me factam esse vehementer doleo. Itaque nihil erit tantum, quod non modò studiosè, si rogatus sim, sed etiam libenter, si quid tua interesse cognouero, mihi suscipiendum putem. Noli enim existimare animo mihi, memoriaque excidisse, quantæ tibi curæ quodã tempore meus honos fuerit; quẽ tu non solùm tueri, atq; defendere, sed etiam amplificare voluisti. Atque vtinã integris tuis rebus, meã tu fidẽ in te, atque animũ experireris: nunc quoniam ita tulit casus infestus, in te iuuando, rebusque tuis diligenter curandis, & si multos, intelligo studiosos, diligentesque futu

ros, tamen principatum appetam, neque ab vllo me vinci, ac ſuperari patiar. Quod quia videre te, malo, quàm audire, oratione lōgiore vtendum non fuit. Vale.

PROGYMNASMATA, SIVE PRAEEXERCItationes Oratoriæ, cum ſingulis cuiuſque progymnaſmatis exemplaribus.

Auctore Bartholomæo Brauo è Societate Ieſu.

PROOEMIVM.



lib.2.c.10 *Væ progymnaſmata Græcè appellantur, Latinè verò præexercitationes dici poſſunt, Quintilianus prima Orat oris opera appellat, & maiorum operum quaſi membra, atque partes: maiora autē opera intelligit, quæ perfe-*

perfectum oratorem informant. Atque iis quidem, quæ maiora sunt, exercendos esse adolescentes prius, quàm ad magnum illud oratoriæ artis opus accedant, & ipse Quintilianus docet, & veterum omnium oratorum vel Romanorum, vel Græcorum exempla; ex quibus quicunque dicēdi laude floruerunt, iis se studiosissimè exercuerunt. Vt enim viri militares vmbratili pugna ad Solem, atque puluerem, sic se antiqui illi oratores priuata declamandi exercitatione ad iudicia, ac tribunalia comparabant. Quòd si totum hoc exercitationum genus diligentius consideremus, reperiemus profectò, quæ speciosa magis, atque præclara in orationem cadere solent, iis maximè eadē contineri. Quantum enim splendorem afferunt orationi amplificatæ quædam narrationes; descriptiones vel rerum, vel personarum, loci communes, ethopœia denique; ne reliquas exercitationes persequar, quæ hoc progymnasmatum nomine comprehenduntur. Hæc igitur, quæ orationem tantopere ornant, & illustrant, tra-

ctata iam habere, & comprehensa animo, quanti illis momenti esse putabimus, qui ad eloquentiæ laudem aspirant; vt cum in ea deuenerint, tanquam in exploratissimis locis liberè excurrat, atque exultet oratio? Quòd si cui nonnulla fortasse ex ijs, quæ prima oratoris rudimenta Quintilianus appellat, maiora quidem opera videantur esse, in qua omnem eloquentiæ vim effundere possit orator; meminerit, totam veterum oratorum eloquentiæ laudem in iudicijs, causisque tractandis fuisse versatam: atque ita, vt nemo gloriosum illud oratoris nomen obtinuerit, qui non idem causas agendi facultatem esset adeptus. Ac tum quidem ita existimabit: sublata iam tota illa iudiciorum forma causarumque agendarum ratione, quæ apud veteres illos prima erant quasi oratoris incunabula, in ijs suam sedem nostrorũ temporum oratores collocare posse: atque in eo vt in extremo gradu consistere; vnde illi sibi ad eloquentiæ fastigium faciebant gradum. Nam illustrium virorum laudatio, vitu-

peratio

peratio improborum, egregiæ alicuius sententiæ, factiúe tractatio, quæ Chriæ nomine continetur; opinionis præterea vel honestæ confirmatio, vel turpis reprehensio, & confutatio, quæ omnia in oratorijs rudimentis Quintilianus numerat, eiusmodi quidem sunt, vt ex eis singulis perfecta oratio conficipoßit, atque omnibus suis numeris absoluta. Quare, si ætatis nostræ rationem habemus, superiora illa, quæ attigimus, quæ non sola ipsa ab oratore tractari, sed orationi ornatus causa admisceri solent, minores quidem partes; hæc verò, quæ modò commemorauimus, quæque ad perfectam orationem conficiendam valent, maiora iam oratoris opera appellare poßumus. Ad quæ perfectè tractanda, & oratoriè etsi rhetorum præceptis opus esse fateor, perfectaque ipsius oratoriæ artis cognitione; tamen vt ætate nostra eloquentiæ comparandæ frigent studia, non equidem video, quanta cũ vtilitate, atque fructu hæc teneris adolescentibus præcepta tradãtur. Quotus enim quisque est (quod

inter cæteras nationes vna maximè luget Hispania) qui ita studeat eloquentiæ, vt non modò ad exercendam oratoriæ facultatis artem, qua illa comparatur, sed ne ad ipsa quidem eius præcepta cognoscenda, atque percipienda satis sibi temporis assumat? Iacet planè in tenebris eloquentia ætate nostra neglecta pene ab omnibus, atque contempta. Si qui verò adolescentes propter eius famæ celebritatem aliquo studio incitati ad eius se scholam contulerunt, salutant quidem illam ab ipso ferè limine, atque ad aliarum artium, ac facultatum gymnasia priùs auolant, quàm pulcherrimam eius formam aspicere potuerunt; quam si inspexissent, atque attentiùs essent intuiti, non dubito quin miro ipsius amore caperentur. Quare qui eiusmodi sunt (sunt autem ferè omnes) his progymnasmatis eorum ingenia exerceri putarim esse commodius, quàm plurimis eosdem præceptis imbui, quorum exercitationi pro illorum ad alias facultates, ac disciplinas præpropera festinatione, nullus planè relinquatur

tur

tur locus. Atque eò magis, quòd non cuiusuis & ingenij, & iudicij est, ex illis locis, quæ topica appellantur, argumenta, atque rationes eruere, easdemque aptè disponere, quod si desit nulla omnino artis vis est, ad hæc verò tractanda ita facilis & rerum inuentio est, & dispositio, cùm vtraque ipsis tyronum oculis apertissimè subijciatur, vt nemo tam esse possit vel ad excogitandum tardus, vel immatur o ad disponendum iudicio, qui, nisi planè plumbeus sit, horum subsidio nō aliquid, atque adeò multum possit efficere. Sed quoniam ne inuenisse quidem satis est, inuentaque disponere, vt oratio perfecta sit, nisi elocutionis lumina accedant; post ipsam progymnasmatum tractationem à rethorum præceptis mutuabimur ea, quæ de elocutione ipsi, atque oratorio numero tradere solent: vt præcipuas illas rhetoricæ partes Inuentionem, Dispositionem, atque Elecutionem, quas fusiùs illi tractant, nos breuiùs hoc progymnasmatum artificio, ac prout tyronibus maiori vsui fore

 vide-

videbitur, complectamur. Qui verò longius procedere, & oratoris tum nomen adipisci, tum laudem consequi velint, ijs se exercuisse, auctore Quintiliano, ac suasore, cùm ad illa maiora peruenerint, non eos magnopere pœnitebit: ex hoc enim quasi gradu ad altiora illa, ac sublimiora facilius ascendent.





DE ORIGINE PROGYMNASMATVM.

CAPVT. I.

HOc exercitationum genus Græcorũ tẽporibus à Demetrio Phalereo, quẽ Cicero eruditiſsimũ fuiſſe commemorat, quidã inuentũ eſſe volũt: In Bruto.
quod tamẽ Quintilianus quaſi parũ compertũ, atq; exploratũ affirmare nõ audet; illud tamẽ cõcedit; apud ipſum Demetriũ multos eloquẽtię ſtudioſos iis ſe diligẽter exercere ſolitos, vt nõ immeritò huius inſtituti auctor eſſe videatur. Romanos verò, q vt alia multa, ſic etiam ea, quæ ad formandũ oratorẽ, eloquentiãq; cõparandã valent, à Gręcis acceperunt, extremis L. Craſsi temporibus iiſdem ſe exercere cœpiſſe, tumque maximè exceluiſſe Plotiũ ipſe Cicero auctor eſt. Quibus idem Romanę elo-

lib.2. c.4.

Lib.3. de Oratore.

eloquētię parens, sic se delectari solitum fateatur, nullum vt diem ab illis vacuum abire permitteret: nullū in quo non aliquid commentaretur, ac declamitaret. Quòd si minus constat, ex quo primū fonte manarint, Aphthonius tamē sophista nobilis, ac declamator insignis eadem in ordinem quendam, artemque redegit, ac Græcè conscripsit. Quem nos in iisdem tractandis ordinem sequemur, eademque aliquanto fusiùs ad tyronum intelligentiam explicabimus.

De vsu, & vtilitate progymnasmatum. Cap. 2.

RHetorica, quæ Ars est benedicendi, cuius artifex Orator est, quinque omnino partibus constat, Inuentione, Dispositione, Elocutione, Memoria, Pronunciatione. Inuentio est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ quæstio-

nem probabilem reddant. Dispositio est rerum inuentarum in ordinẽ distributio. Elocutio est idoneorum verborum,& sententiarum ad inuẽtionem accõmodatio. Memoria est firma orationis perceptio. Pronunciatio est ex rerum,& verborum dignitate corporis,& vocis modertio. Atque ex his quinque partibus tres quidem primæ præceptis præcipuè iuuantur,reliquæ duæ,& si sua quoque præcepta habent,naturę magis, quã artis sunt. Materia verò in qua artifex huius artis versatur, quæstio est.Omnis autem quæstio ad tria causarum genera refertur. Demonstratiuum,Deliberatiuum,Iudiciale. Demõstratiuo laus,& vituperatio: Deliberatiuo suasio, ac dissuasio ; Iudiciali accusatio, ac defensio continetur. Ad inueniendum igitur quid in vnoquoque genere de quæstione proposita dici possit, certa quædam

loca

loca Rhetores cõmuniter dẽſignãt; ac notant: ad diſponenda, quæ inuẽta ſint, nonnulla etiam præcepta tradũt. Progymnaſmata igitur hoc pręſtant, vt non modò loca cõmuniter oſtendant, ex quibus erui rationes, & argumenta poſsint, ſed ex vniuerſis quæ cuique quæſtioni magis conueniant, ea notent, & ſimul quæ inde depromantur argumenta, rationeſque diſponant; vt mox in propoſitis patebit exemplis. Ergo pro locis, quæ Topyca appellant Rhetores, hæc eſſe poſſunt: nam de Elocutione priuatim differemus. Sunt autem progymnaſmata quatuordecim, Fabula, Narratio, Chria, Sententia, Confutatio, Confirmatio, Locus communis, Laus Vituperatio, Comparatio, Ethopœia, Deſcriptio, Theſis, Legiſlatio. Quæ ſi ad tria illa cauſarum genera, quæ Rhetores conſtituunt, referre velimus;

limus; Laus quidem, Vituperatio, & Comparatio ad Demonstratiuum genus pertinent: Chria, Sententia, Thesis ad Deliberatiuum; ad Iudiciale verò Confutatio, & Confirmatio: quinque reliqua omniũ causarum generibus communia sunt.

De Fabula. Cap. 3.

FAbula est, in qua neque veræ, neque verisimiles res continentur. Quæ cùm à Poetis originem traxerit, ea tamen sæpe vtuntur oratores; valet enim tum ad delectandos audientium animos, tum ad permouendos plurimùm. Nam & ficti sermonis iucunditate reficiuntur auditores, & veritate ipsa, quæ eiusmodi narrationi subest, ad id de quo agitur, impelluntur. Tractatur autem fabula aut breuiter narratione simplici: aut fusiùs, cùm personis, quæ inducuntur in fabulam,

Cicero de inuen. l. 1

lam,

lam, sermoné damus. Qui fusiùs tractare eam velit, ab his locis petet dilatandi copiam. Ab auctoris laude: vt si eius, qui fabulam composuit, aut ingenium, aut prudentiam, aut mores denique breuiter laudet. A præfabulatione: explicando scilicet, quid ille ea fabula voluit edocere. A natura rei; vt si vel rerum, vel personarum, de quibus fabula confingitur, vt leonis, vt vulpis, eiusmodiq; animantium naturam exponat, atq; describat. A sermocinatione: iisdem ipsis rebus pro re, ac loco orationé tribuens. A collatione: qua eius, de quo fabula est, factum cum alterius facto comparetur. A contrario: vt si sententiam aliquam inde eliciat alteri sententiæ contrariam: aut euétum euentui dissimilem ostendat. A cóclusione; qua colligitur breuiter, quid ea fabula doceat, quod ad prudentiam, humanosque mores pertineat:

neat: exhortatiuncula quadam adhibita ad id, quod in ea honestum maximè ostenditur. Huius verò, cæterorumque progymnasmatum tractatio quomodo institui debeat, ipsa, quæ inferiùs de singulis ponentur exempla apertius declarabunt.

De Narratione. Cap. 4.

NArratio est rerum gestarum, aut vt gestarum expositio. Narratio num tria sunt genera. Vnum genus est, in quo ciuiles causæ, oratorumq; controuersiæ continetur. Alterum, in quo digreßio aliqua extra causam, aut criminationis, aut similitudinis, aut delectationis non alienæ ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis denique causa interponitur. Tertium genus est remotum à ciuilibus causis, quod delectationis causa non inutili cum exercitatione dicitur, & scribitur. Eius partes sunt duæ; quarum altera in negotijs, altera Cicero de inuen. li. 1

ra in personis maximè versatur. Ea, quæ in negotiorum expositione posita est, tres habet partes, Fabulã, de qua paulò ante: Historiam, quæ res gestas ab ætatis nostræ memoria remotas continet: Argumentum, quo res quidem fictæ referuntur, sed quę tamē fieri potuerunt: qualia sunt comœdiarum argumenta. Illa autē narratio, quæ versatur in personis eiusmodi est, vt in ea simul cum rebus ipsis personarum sermones, & animi perspici possint. Atque hoc narrationis genus illud est, in quo præcipuè adolescentes exerceri conuenit. In quo quidem multa festiuitas inesse debet, multa suauitas. Est autem illa festiua, ac suauis narratio quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos; quæ interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates.

Cicero in part.

Atque

Atque omnis quidem narratio tres omnino virtutes habere debet; vt breuis, vt aperta, vt probabilis sit. Quod verò ad sermonis elegantiam attinet, Quintilianus narrationes cõponi vult, quanta maxima possit, adhibita diligentia. Amplificari autem potest narratio primùm ab auctore facti; vt si eum ipsum narrationis initio laudibus ornes: vel è contra, si ita res postulet. Deinde à re ipsa gesta, vt si factum describas, & quasi ante oculos ponas; à tempore, à loco, à modo, à causa denique propter quã gesta res est, & si quę sunt aliæ circunstantiæ, quę narrationem iucundam, ac festiuam reddant. Quę omnes illo versiculo continentur.

Cice. de Inuen. 1.

lib. 2. c. 4.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur? quomodo? quando.

De Chria. Cap. 5.

CHria eſt commemoratio breuis perſonę alicuius, vel facti, vel dicti, vel vtriuſque ſimul. Dicta autē eſt Chria, quòd valdè ſit vtilis. Eſt igitur triplex verbalis, quæ ratione vtilitatem demonſtrat; vt Plato dixit, Virtutis ramos è laboribus, atq; ſodorib⁹ produci. Actiua, quæ actionem, aut factum ſolùm recenſet: vt Pythagoras interrogatus, quanta nā eſſet hominum vita, cùm per tempo ris breue ſpatium ſe conſpiciendum præbuiſſet, latebras petijt: humanæ vitæ menſurā ex illo breuiſsimi temporis ſui conſpectu deſignans. Mixta, quæ oratione pariter, & actione conſtat: vt cùm Diogenes adoleſcētulum laſciuientem vidiſſet, illius pędagogum baculo percuſsit: Quid inquiens talia puerum doces, ac ſic inſtruis? Chriæ verò dilatandæ, & amplificandæ ratio ea loca complectitur.

tur.

tur. Auctoris laudẽ loco prooemij, vt in fabula, ac narratione diximus. Expositionem, quæ declaret, quid ille eo vel facto, vel dicto significare, aut docere voluit. Causã, quæ eiusdem vel dicti, vel facti rationem reddat. Contrarium, vt si doceas, quid mali ex cõtrario sequeretur, aut etiã boni, si res ita exigat. Similitudinem quæ pro re, de qua agitur ab arboribus, à fructib⁹, à mari, sole, multisq́; alijs rebus duci solet. Exemplum, quod ab historijs tum sacris, tum humanis peti potest. Testimonium, vt sententiam aliquam aut ex sacris litteris, ut ex philosophis, aut etiã ex Poetis desumptam, quæ in rem conueniat, eandemq́ue confirmet. Epilogum denique, qui hæc capita breuiter complectatur, aliquamq́ue ad id ipsum, quod propositum est, aut exhortationem, si honestũ; aut si turpe sit, detestationem contineat. Huc

enim spectare debet, qui Chriam tractat, vt cùm viderit quid in illa sit optimum, atque ad honestam morum institutionem vtile, idipsum tractatione ostẽdat, atque suadeat. Quòd si eadem ipsa loca, quæ proposita à nobis sunt frequententur, si plures rationes, plura exempla, ac testimonia adhibeantur, plura similia, atque contraria, eademque elocutionis luminibus illustrentur; vides profectò, quàm plena, quàm grauis oratio cõfici possit, atque perfecta.

De Sententia. Cap. 6.

Ad He. lib. 4. SEntentia est oratio sumpta de vita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita breuiter ostendit. Sententiarum autem varia sunt genera. Aliæ enim ad hortandum valent, vt Adolescens loquere in tua Eccl. 32. causa vix, cum necesse fuerit. Aliæ Prou. 27. ad dehortandum, vt Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura

tura pariat dies. Ad demonstrandum aliæ; vt Qui maledicit patri, & matri, extinguetur lumen eius in medijs tenebris. Item aliæ simplices; vt Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Aliæ compositæ; vt In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus; cũ impij sumpserint principatum gemet populus. Aliæ præterea probabiles; vt Quales amicos quisque habet, talem scias. Aliæ veræ; vt Moritur doctus, similiter & indoctus. Aliæ hyperbolicæ; vt Infirmius nihil homine. Tractatur autẽ, dilataturque Sententia ijsdem omnino locis, quibus Chriam tractari diximus Hoc differt à Sententia Chria, quód hæc persępe in actione, illa verò semper in oratione consistit. Chria pręterea semper habet additam personam vel facti, vel dicti, sententia etiam sine persona sępe effertur.

Prou. 20. Prou. 29. Eccl. 2.

De Refutatione. Cap. 7.

REfutatio est rei alicuius proposi- tæ reprehensio; vt cùm aliquid de historia sumptum tanquam non credibile refutamus: aut opinionem aliquam vulgi redarguimus, ac repre hendimus. Hoc exercitationis ge-
Lib. 2. c. 4. nus Quintilianus appellat opus de- struendi; vt si quæratur, An sit credi bile super caput Valerij pugnantis sedisse coruũ, qui os, oculosque ho- minis Galli rostro, atq; alis euerbe- raret; idque falsum velit reprehen- dere. Refutanda verè sunt ea, de qui bus aliqua esse potest dubitatio: nõ quæ planè manifesta sunt, vt quæ sa cræ litteræ testantur: aut prorsus in- credibilia, vt Aesopi fabulæ. Illa igi- tur erit rei alicuius refutandæ ratio. Exordij loco reprehendédi sint, qui dixerũt: deinde rei expositio subiun genda est: postea res ipsa his capiti- bus subuertenda. Obscuro, vt si do-

ceas, id quod reprehenditur, incertum omnibus, nemini esse probabile; Incredibili, vt rationes afferas, quare id credi non debeat; Nõ possibili: vt ostendas, id fieri minimè potuisse; Non cohærente, vt id ipsum aut naturæ repugnare doceas, aut rationi, aut consuetudini, &c. In decoro, vt contendas, id fieri non decuisse; Inutili, vt planum facias, nihil in ea re vtilitatis aut inesse, aut fuisse. Breui denique epilogo terminabitur oratio, quo ex dictis falsum illud esse appareat, quod reprehenditur.

De Confirmatione. Cap. 8.

CONfirmatio est propositę rei cõprobatio, Refutationi planè contraria. Confirmanda igitur erũt, quæ neque prorsus manifesta sunt, neq; quæ omnino credi non possunt. Quod ad tractationem attinet, præmissa auctoris laude, reiq; expositione,

ſitione, res erit iis comprobanda locis, quę ſunt refutationi contraria. Manifeſto, probabili, facili, coherente, decente, vtili. Hęc & ſuperior exercitatio vtiliſsima quidem eſt ad exercenda puerorum ingenia, declamationeſque inſtituendas, dum rem eādem vnus confirmet, refutet alter. Quod contentionis genus nō minimū exacuit ingeniū: ſe enim quiſq; ſpe vincendi excitat, neruoſq; intēdit. Eſt autē vtrūq; dicēdi gen⁹ eiuſmodi, quod orationis ornatum, eloquentiamque deſideret. Quod ſi iudex quoq; conſtituatur, qui de quęſtione propoſita ſententiam ferat: ſi quęſtionem ipſam alius initiò proponat, erit interdum hęc in ſcholis exercitatio auditoribus vtilis, & ſpectatoribus non iniucunda.

De loco communi. Cap. 9.

LOcus communis eſt oratio, qua bona aut mala, quę alicui inſunt, augen-

augentur, & amplificantur. Dicitur autem communis, quod in omnes, qui eius rei, de qua agitur, participes sunt, communiter conueniat: vt si in sacrilegum dicas, in latronem, in adulterum, eadem oratio in omnes vel sacrilegos, vel latrones, vel adulteros cadet. Eadem ratione si beneficentiam, aut fortitudinem extolłas, eadem laus omnibus vel beneficis, vel fortibus congruet. Habet autem locus communis commodissimum in oratione locum post ipsa confirmationis argumenta: vt si cùm aliquem, verbi gratia, homicidam argumentationibus conuiceris, ad crimen exaggerandum, atque in criminis auctorem concitandam inuidiam in parricidium ipsum inueharis, ac tanti sceleris atrocitatem per communem locum amplifices. Item in virorum laudatione cùm aliquē ex eius factis vel fortē virū, vel

iuſtum oſtenderis, tum in communẽ locum orationem conijcere licebit, quo vel fortitudinis, vel iuſtitiæ pręſtantiam, atque excellentiam prędices; qua ratione eiuſdem viri dignitas, in quo virtus illa inſit, magis appareat, cùm eiuſdem virtutis laus ad eum referatur. Quod autem ad tractationem attinet; communis locus exordium non habet, cùm peractæ iam (vt diximus) argumẽtationi ſubijciatur, ſed qui ſtylum exercent, aliquid exordij loco fingere poſſunt, ac deinde ab his locis: quę à Cicerone notantur, propoſitæ rei amplificationem petere. Neque verò nos omnes, quos ille notat, locos deſignabimus, ſed qui pro noſtrorum temporum ratione, atque earum rerũ, quæ tractari ab oratoribus ſolent, cõmodiores ad exercendum ſtylum videbuntur. Primus igitur locus ſumitur ab auctoritate, cũ commemoramus, quantę

Ad Her. lib. 3.

quantę curę ea res fuerit Deo ipsi Opt. Max. viris sanctissimis, sapientibus legum latoribus: vt si ostendas quibus vel diuinis testimonijs, vel humanis legibus, ac decretis ea res, de qua agitur, aut turpis condemnetur, aut honesta cõmendetur. Secundus locus est, cùm cunsideramus, ea res ad quos pertineat; quibus noceat, si turpis, vt latrocinium, vt hæresis; quibus vtilis sit, si honesta, vt iustitia, vt liberalitas. Tertius locus est, quo percunctamur, quid esset euenturum, si omnes aut illo vitio laborarent, aut virtute florerent: vt si vel omnes latrocinia exercerẽt, vel iustitiam colerent, qui esset Reipub. status futurꝰ. Quartus locus est, quo ostendimus, aut tetrum facinus, immane, crudele, nefariũ, homine indignum; aut si honesta res est, hominis dignitate dignissimum. Quintus locus constat ex comparatione, aut

peccatorum, aut rectè factorum, quà vel facinus, de quo est oratio, vel virtus augeatur: vt si dicas, maius esse maleficium templa compilare, quàm priuatas domus, aut alia eiusmodi furta, aut facinora facere, quę tamen maxima sint. Excellentioris esse fortitudinis, se ipsum vincere, quàm hostes, quàm vrbes expugnare. Sextus locus est per quem omnia, quę in negotio gerendo accidunt, quęque rem consequi solent exponimus acriter, & criminosè, & diligenter, si in maleficium inuehimur: vel magnificè laudando, & amplificando, si de re honesta oratio est: vt si quę in latrocinijs, quę in seruanda iustitia intercedunt; quę item vel illud maleficium mala, vel hanc pręclaram virtutem bona consequantur, exponas. Epilogo superiora argumenta breuiter colliges, quibus magnam eius rei aut turpitudinem

nem esse, aut dignitatem conclũdes. Atque communis quidem loci tractatio ideo vtilisſima eſt, quòd in oratione frequentisſimè cadit, cùm vel laudamus, vel vituperamus, vel ſuademus; in quibus cauſarum generibus ferè noſtra hac ętate tota verſatur eloquentię vis. Quoties enim ſacri concionatores in periuros, in helluones, in eos qui aliena retinent, inuehuntur? quoties virtutis alicuius excellentiam, ac dignitatem amplificant: vt temperantię, vt liberalitatis in egenos, ac ęrumnoſos homines. Quod idem ijs omnibus accidit, qui longiores inſtituunt orationes. Quint. li. 10. c. 5.

De Laude. Cap. 10.

LAus eſt oratio, alicuius bona enumerans. Cadunt autem in laudationem perſonæ, res, facta, atque dicta. Nam & pręclaros viros laudare, Quint. li. 3. c. 17.

& pro-

& prouincias, vrbes, loca, virtutes, bonarum artium studia, & illustrium virorum egregia vel facta, vel dicta sępe solemus. Sed personarum pręcipua laus est. In personę, igitur laude instituenda libera est exordiendi ratio. Sed commodè tamen principium sumi potest, aut à nostra, aut ab eius de quo loquemur, aut ab eorum, qui audient persona; aut ab re ipsa. A nostra dicemus, aut officio nos id facere, aut studio, aut pietate, aut religione in eũ quem laudamus; aut, quòd rectum sit, ex aliorum laude ostendere, quales nos esse debeamus. Ab eius persona de quo loquemur, vereri nos dicemus, vt illius facta verbis consequi possimus: omnes homines illius virtutes prædicare oportere: ipsa facta omnium laudatorum eloquentiam anteire. Ab auditorum persona, si notus ille sit, quem laudamus, dicemus, nos pauca

Ad Her. lib. 3.

è multis esse dicturos; nõ vt quę nota sunt, doceamus, sed vt eorum cõmemoratione audientiũ animos pro illorum in eum ipsum studio recreemus. A reb' ipsis, incertos nos esse, quid potissimum laudemus: vereri, ne cùm multa dixerimus, plura prætereamus; & quæ similes sententias habebunt. Post exordiũ à tribus bonorum generibus laus peti potest. Corporis, fortunæ, atque animi. Corporis bona sunt valetudo, integræ vires, pulchritudo, & alia eius generis. Fortunæ bona sunt, gens, patria, maiores, parentes, diuitiæ, possessiones, munera in Repub. Animi verò bona virtutes sunt, & præclarè gesta, bonæ artes, ac disciplinæ. Addẽda est cum alijs illustribus viris comparatio, qua laus maximè amplificatur. Epilogo superiora capita breuiter enumerantur; adhibita exhortatione ad eius, quem laudamus imita-

Quint. li. 3. c. 7. tionem. Potest etiam laudatio aliter institui, vt diuidatur in tẽpora, quodque ante hominẽ fuit, quoque ipse vixit, &, si vita functꝰ est, etiã quod est insecutum. Ante hominem valent ad laudandum patria, parentes, maiores, & si qua sunt vel responsa, vel oracula, vel signa, quæ futuram hominis claritatem, sanctitatemue promiserint; vt in beato Ioanne Baptista, alijsque sanctissimis viris fuerunt. In vita duci laus potest ab indole, ab educatione, à præceptoribus, ab optimis artium studijs, à triplici denique illo bonorum genere corporis, fortunæ, atque animi: in quorum laudatione & disponenda & Quint. li. 3. c. 7. amplificanda omnes ætatis gradus, atque ipsum rerum gestarum ordinẽ sequi speciosum erit. Post vitam à mortis genere, ab ijs, quæ mortem ipsam consecuta sunt; vt honores illi habiti, decreta virtutis præmia, præ-

clara ipsius rerũ gestarum monumẽta, ciuium luctus, atque eius desiderium. Hic illud monendum videtur, non necesse esse, nos omnes has partes in laudem transferre, propterea quod sæpe ne incidunt quidem: sæpe ita tenuiter incidunt, vt non sint necessariæ dictu. Quapropter eas partes, quæ firmissimę videbuntur, legere oportebit. In ipsa autem laudatione conclusionibus interdũ breuibus vtemur: crebras item, ac breues amplificationes interponemus per locos communes. Res ita laudantur quemadmodum & personæ. Nam si vrbem laudare velis, pro parente est conditor; & multum auctoritatis affert vetustas. Corporis & fortunæ bona ab ipsius urbis pulchritudine petes, & amœnitate, à loci positione, ac munitione, ab ædificijs, templis, fluuijs, agrorũ vbertate, & similib⁹. Animi vero ab

Ad Her. lib. 3.

Quint. li. 7. c. 3.

ab ipsorum ciuium honestis moribus, legibus, institutis. In alijs verò rebus laudandis, cuiusque rei natura inspectanda est, ac bona, quæ illi insunt consideranda. Quin & facta, atque dicta præclaram habebunt laudationem, si, quibus cum virtutibus coniuncta ea sint, ostendamus.

De Vituperatione. Cap. 11.

Vituperatio est oratio, qua exponuntur mala, quæ alicui insunt, laudationi penitus contraria. Itaque ex quibus rebus laudem constituerimus, ex contrarijs rebus erit vituperatio comparanda. Laus verò, ac vituperatio à Loco comuni, in quo vtraq; reperitur, hoc differũt: quòd hîc laus quidem, aut vituperatio cõmuniter tractatur: illic verò personis ipsis accommodatur, & rebus.

Ad Her. lib. 3.

De Comparatione. Cap. 12.

COmparatio, est oratio ex collatione aliquid disquirens, quod id,

id, quod comparatur in maius extollat, aut ostendat æquale. Comparantur autem vel bona bonis, vt iustitia pietati: vel mala malis, vt furtum sacrilegio, vel bona malis, vt sobrietas ebrietati; vel parua maioribus, vt mus elephanto. Cadunt autem in cõparationem omnia, quæ laudari posse, aut vituperari diximus, personas, res, atque facta, vel dicta. [Quare in Comparatione ijs locis vtemur, ex quibus laus duci, aut vituperatio potest, pro rerum natura, quæ comparantur. Neque verò minutula quæque in comparando persequi necesse est, singulasque huius rei partes cum illius partibus singulis minutatim, ac perexiguè conferre, sed quæ præcipua in vtraque sint, magisque illustria. Satis enim est, si personam cum persona compares, ex præcipuis locis, vel laudis, vel vituperationis materiam sumere, quin ad sin-

gulas vtriusque personæ describendas partes descendas.

De Ethopœia. Cap. 13.

Quint. li. 10. c. 2. Ethopœia est imitatio morũ alienorum: qua scilicet subiectæ personæ mores, vel affectus exprimuntur. Est autem triplex. Aut enim notæ personæ orationem fingimus, & tũ Ethopœia dicitur. Aut notæ quidem personæ, sed defunctæ, & tunc Idolopœia vocatur. Aut persona simul fingitur, & oratio, & tum Prosopopœia appellatur. Quæ tamen tria imitationum genera hoc Ethopœiæ nomine cõplectimur. Et quanuis Ethopæia & in dictis versatur, & factis, prior quidem pars huc maximè spectat; altera verò ad descriptionem referenda erit. Diuiditur Ethopœia in passiuam, qua personæ affectus, ac motus animi exprimitur; vt Qualia verba Hecuba faceret, Troia subuersa. In moralem,

Quint. li. 9. c. 2.

quæ

quæ mores solùm pingit, vt Quid diceret rusticus, cùm primùm nauim videret. In mixtam, quę mores pariter, & affectum exprimit, vt Qua oratione Achilles vteretur, occiso Patroclo, cùm pugnare decreuisset. Consilium enim ad mores pertinet, affectus ex amico occiso concitatur. Denique huius progymnasmatis usus eò spectat, vt omniũ personarum affectus imitere, aptas cuique sentẽtias, ac verba tribuas, quę vel iram, vel timorem, vel prudentiam, vel temeritatem, vel lętitiam, ac cęteros denique animi affectus, atq; motus exprimant. In Ethopœia verò tractanda tria spectantur tempora, pręsens, pręteritum, futurum. Pręsens vt recenseâtur, quę adsunt, propositaque nobis sunt, quęque affectus nostri sunt causa, siue lęta, siue tristia illa sint. Pręteritũ, vt hęc ipsa cũ superioribus conferantur vel

lætis, vel tristibus; vel nostris, vel alienis. Futurum, vt adducantur cōsilia, aut remedia, quibus malis præsentibus subueniri possit: vel prospera conseruari: rerum euentus, timores, spes, aut aliquid aliud quod futurum tempus spectet, quod quidem ex præsentibus proficiscatur, consideretur, ac oratione exprimatur.

De Descriptione. Cap. 14.

DEscriptio est oratio, quæ rem totam, de qua agitur, diligenter exprimit, ac velut oculis subijcit, vt cerni potius videatur, quàm audiri. Describuntur personæ, res, loca, tempora. Ac descriptiones quidem modò veræ sunt, quia res veras describimus: modò fictæ, cùm res quoque ipsas fingimus, quas depingere volumus. Persona ab his potissimùm circunstantijs describi potest, à natione, seu patria, à sexu, ab ætate, à to-

ẗius corporis habitu, à fortuna, ab ſtudijs, à cõmunibus affectibus. Res autem ab antecedentibus, & quæ in ipſis rebus inſunt, quęq; ex eis prouenire ſolent; vt ſi vrbis expugnationem deſcribas. Loca ab ipſis rebus, quæ in eis continentur, vt domus, vt horti, vt portus. Tempora item ab ijs, quæ eorum ſunt propria, vt ſi aut æſtatem, aut hyemem deſcribere velis. Qui autem deſcribit pręclaros pictores imitari debet, atque rerũ imagines ita exprimere, & ſuis quanque coloribus depingere, vt decorum in omnibus ſeruetur. Oratio vero ipſa variari debet multiplici ſchematum figura.

De Theſi. Cap. 15.

THeſis, quam Cicero Propoſitum vocat, eſt quęſtio, qua aliquid generatim quæritur. Differt autem ab Hypoteſi, quam Latini vel cauſam, vel controuerſiam appellant: quod In Topic.

illa nullis circunstantijs circunscribitur; vt An expetenda sit eloquentia? Hęc verò certis personis, locis, temporibus includitur, vt An Antonio eloquentię danda sit opera? Ac Thesis quidem duo sunt genera, cognitionis alterum, cuius scientia est finis, vt An Sol magnitudine multis partibus terram superet: alterũ actionis, quod refertur ad efficiendum aliquid, vt An accedendum sit sapienti ad Rempub. administrandam. Tractatur autem Thesis primùm procemio, qui sit ingressus quidam ad argumentationem: deinde locis suasionis honesto, vtili, facili, necessario: quibus locis admiscenda erunt exempla, similitudines, testimonia siue humana, siue diuina, quę plurimùm ad persuadendum valent: & si quid erit, quod obijci possit, refutandum. Epilogus propositę rei exhortatione, si honesta; si turpis dehortatione

Cicero in Topi. in Par. Quint. li. 3. c. 5.

conta-

constabit. Ac eiusdem quidē quęstiones mirè sunt, vt Quintilianus ait, ad exercitationem dicendi speciosę, atque vberes: ad instituendas verò declamationes adolescentibus accommodatissimę, cùm ab eis eadē quęstio in vtramque partem tractari possit. Vt si alter contra poesim, alter pro poesi dicat. Item si è duobus propositis in vtro maior sit dignitas quęratur. Vt vtrum poetica, an oratoria ars hominis sit dignitate dignior. Vtrum litterarū, an militię sit pręstantius studiū. Et quidē ipse Cicero iam princeps in Repub. ijs se exercere solebat. Magna autem est inter Thesin, ac Locum communem similiudo; Sed hoc tamen differunt; quòd Locus communis ad amplificandam, & augendam causam assumitur: Thesis ad amplificandam & probandam. Lib. 2. c. 4. Quint. li. 10. c. 5.

De Legislatione. Cap. 16.

LEgislatio, siue legis inductio, est oratio, qua legem aliquã vel cóprobamus, vel confutamus, ac reprehendimus. Est autem lex, vt definit Cicero, ratio summa insita à natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. At que hoc quidẽ exercitationis genus summis propè oratorijs operib⁹ adscribit Quintilianus, quippè quod ad iudiciales causas proximè accedat. Differt autẽ ab Hypothesi, hoc est, causa, quòd in hac certa persona ponitur: in legislatione verò personam quidẽ exprimimus, sed incertam, aut non omnibus notam. Differt etiam à Thesi, hoc est, proposito, quatenus personæ figuram habet, quæ in Thesi nulla est. Est igitur Legislatio duplex: Comprobatio propositæ legis, vel confutatio. Tractatur verò primùm procemio, quod constare poterit

De Leg. lib. 1.

lib. 2. c. 4.

breui ipsius legis vel laude, vel vitu peratione. Huic subijcietur contrarium, vt aliquod scilicet argumentũ ex eo, quod contrarium sit legi, eliciatur, ad eam vel confirmandã, vel reprehendendam. Deinde ex his locis reliquam aut comprobationem, aut confutationem petes. Legitimo, vt idipsum legibus, vel diuinis, vel humanis cautum esse doceamus: Iusto, vt legis æquitatem ostendamus. Vtili, ac Possibili, quibus rei vtilitas, facilitasque proponatur. Si quid verò obijci possit, eidem nobis occurrendum, ac respondendum erit. Cùm reprehendenda lex est, loca erũt superioribus contraria. Atque hæc quidem sunt progymnasmata illa, siue præexercitationes oratoriæ, quibus Quintilianus adolescentes exercendos putat, ante quàm oratoriç facultatis artem tractare incipiant. Quoniam verò omnis oratio

incul-

inculta est, atque horrida, quam nullus verborum ornatus concinnet, nulla sententiarū lumina illustrent, atque quę adhuc tradidimus, inuentionis, dispositionisque sunt, addere etiā oportebit aliquid, quod ad elocutionem pertineat, vt habeant adolescentes non modò res inueniendi disponendique pręcepta, sed etiam eloquendi.

De ornatu orationis. Cap. 17.

Cicero. 3. de Orat. Quint. li. 8. c. 3.

OMnis orationis ornatus, aut est in singulis verbis, aut in coniunctis. Verba aut propria sunt, & certa quasi vocabula rerum, aut translata. Propria alia sunt natura sua sonantiora, grandiora, nitidiora, alia contra: vt grandius est, contrucidare, quam occidere. Hęc tamen materię, de qua agitur, modo cernanda sunt: quod enim alibi magnificum, tumidum alibi; & quę humilia circa res magnas, apta, circa res minores,

viden

videntur: quare aurium ferè iudicio quodam sunt ponderanda. Atque satis hoc sit de verbis proprijs dixisse, nunc de Tropis, quibus verba trãsferuntur dicamus.

De Tropis. Cap. 18.

TRopus est verbi, vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio; vt cùm dicimus: lętas segetes, verbum lętus à propria significatione, qua lętos homines dicimus, ad segetes cum virtute transfertur. Sunt autem Tropi numero vndecim: Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopœia, Catachresis, Metalepsis, quę septem in vno sunt verbo: quatuor reliqua in oratione, Allegoria, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole: de quibus, tametsi nõdum de eo dicimus ornatu, qui ex coniunctis, continuisque verbis constat, breuiter scribem⁹, ne Quint. li. 8. c. 6.

iterum

iterum de tropis differere cogamur.

Ad Her. lib.4. Metaphora Græcè, Latinè translatio, tropus est, cùm verbum in quandam rem transfertur ex alia propter similitudinem. Est autem quadruplex metaphora: nam aut animatum pro animato ponitur. Vt Verres cupere aliqua euolare: vel inanime pro inanimis: vt Effundere honores in mortuos. Vel inanime pro animato: vt Columna Reipu. Pro pugnacula imperij. Vel deniq; animatum pro inanimis: vt Tabulæ se corruptas esse clamabant. Ex hoc autem postremo genere mira quædam sublimitas oritur, cùm rebus sensu caretibus actus quidam, & animus datur.

Quint. li. 8.c.9. Synecdoche tropus est, in quo ex parte totum, aut contra; aut ex antecedentibus sequentia intelliguntur. Quæ descriptio octo illos modos complectitur, quibus fit Synecdoche. Ex parte totum intelligimus,

cùm pro domo parietes, aut tecta dicimus: mucronem pro gladio. Vel cùm ex vno plures significantur, vt Romanus prælio victor, pro Romanorum exercitu. Vel genus ex forma, hoc est, parte illi subiecta, vt Sica pro quouis telo: pestis pro quouis malo. Vel ex materia res vniuersa; vt Ferrum pro gladio: Pinus pro naui. Contra verò ex toto pars declaratur, vt Virgilius.

-- fontemque, ignemque ferebant.

Aut cû è pluribus vnus intelligtur, vt Cicero. Nos nos Consules desumus: cùm de se tantùm loqueretur. Aut è genere pars illi subiecta, vt Telum pro gladio. Ex antecedentibus demum sequentia monstrantur, vt vt cùm ait Virgilius.

Et iam Sol altus cresc ĕtes duplicat vmbras.

Animaduertendum autem est, quomodo hoc tropo Poetæ, quomodo vtãtur oratores: illis enim familiaria

multa sunt, quibus vti oratori non licet.

Quint. li. 8. c. 6. Metonymia est tropus, in quo causas per effecta, vel effecta per causas, vel ex eo quod cótinet, id quod continetur: vel ré é signo intelligimus. Per causas effecta declaramus, cú inuétor, aut alicui⁹ rei auctor pro re inuéta ponitur, vt Plato, vel Aristoteles pro eorú scriptis. Ex effectis causa significatur; cú sacrilegiú deprehésum, aut scelus dicimus, pro sacrilego, & scelerato. Ex eo quod continet, id quod continetur, vt Bene moratę vrbes, pro ciuibus. Roma pro Romanis. Huc referútur etiá illa cùm ex possessore res, quæ posidetur; aut ex duce exercitus significatur. Sic hominé deuorari, cuius patrimoniú deuoratur. Et ab Annibale apud Cánas cæsa sexaginta millia militum dicimus, id est, ab eius copijs. E signo denique res móstratur, vt

vt cùm Toga pro pace; fasces vsurpantur pro magistratu.

Antonomasia ponit aliquid pro nomine, vt Euersor Carthaginis, & Numātiæ, pro Scipione. Si nomē ipsum addas, iam non Antonomasiā erit, sed Epitheton, seu, vt Cicero appellat, appositum, vt si dicas, Scipio Carthaginis euersor, atq; Numātiæ. Quint. lib. 8. c. 6.

Onomatopœia, id est, fictio nominis, Latinis vix permittitur, cū Græcis inter maximas virtutes habita sit. Hinc veteres multa finxerunt vocabula aptantes affectibus nomen, vt Mugitus, Sibilus, Murmur. Nūc verò hoc genere vtendum non est, nisi per raro, & commodè. Quint. lib. 8. c. 6.

Catachresis, quę & abusio dicitur, nō habētib⁹ nomē suū accōmodat, quod in proximo est. Sic parricida matris quoq;, aut sororis interfector dicitur, cū patris interfectorem significet. Atque hoc inter metaphoram, Quint. lib. 8. c. 6.

& abusionem interest, quòd abusio à rebus propinquis nō habentibus nōmen accommodat; metaphora verò etiā habentibus vndecunque propter rei similitudinem alienum nomen ascìscit.

Quint. li. 8. c. 6. Metalepsis, id est transumptio ex alio in aliud velut viā præstat. Tropus autem est rarissimus, & maximè improprius. Virgilius.

Post aliquot mea regna vides mirabor aristas.

Vbi aristas pro annis posuit, gradatim ascendens àb aristis ad spicas, à spicis ad segetes, ab his ad æstates, ab æstatibus ad annos.

Quint. li. 8. c. 6. Allegoria, quam inuersionem interpretamur, aliud verbis, aliud sensu ostendit, ac etiam interim contrarium. Duplex autem est allegoria, aut tota, aut permixta. Tota, vt Cic. De Ar. resp. Ista serpens, quæ tum hic delitescit, tum se emergit, elisa morietur. Permixta,

mixta, vt pro Milone. Et quidem cæteras tempestates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionũ semper Miloni putaui esse subeundas. Pro Mil.
Ac permixta quidẽ multo frequentior in oratione est. Cùm verbis contraria ostenduntur, ironia est, quod aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei natura. Vt Cic. Vetres homo sanctus, & diligen.. Quint. li. 8.c.6.

Periphrasis, quæ circuitio Latinè dicitur pluribus verbis explicat, quod vno, aut paucioribus dici posset. Tropus est poetis frequentissimus, & apud oratores non rarus. Cic. Fecerunt id serui Milonis, neque imperante, neque sciente domino quod suos quisque seruos in tali re facere voluisset. Quint. li. 8.c.6. Pro Milo.

Hyperbaton Latinè transgreßio, tropus est solis poetis cõcessus, qui verba diuidit. Virgilius. Quint. li. 8.c.6.

-- *Hyperboreo septem subiecta trioni.*

Quod oratio nequam recipit.

Quint. li. 8. c. 6. Hyperbole est ementiens superiectio, cuius virtus tum in augendo, tum in minuendo cernitur. vt Virg.

Aenei. 5. *-- Fulminis ocyor alis.*

Ecl. 3. Idem. *-- Vix ossibus hærent.*

Sed tam in augendo, quàm minuendo modus quidem seruādus est. Etsi enim omnis Hyperbole est vltra fidem, non tamen esse debet vltra modum.

De ornatu, qui est in verbis coniunctis. Cap. 19.

Cicero. 3. de Orat. Perpetuæ orationis ornatus in est primum in ipsa coniunctionis lenitate, ac numerorum; deinde in verborum, sententiarumque luminib⁹, quibus distinguenda illa est, & frequentanda. Ac de his quidem post tropos aptissime dicemus: deinde de collocatione, coniunctioneq; verborum: postremò de oratorio numero.

De figuris. Cap. 20.

Figura est confirmatio quædã orationis remota à communi, & primũ se offerente ratione. Differt autem tropus à figura: quod tropus, vt eius indicat diffinitio, proprijs verbis fieri nõ potest, figura potest. Figurarũ, quæ orationis lumina appellat Cic. duo sunt genera; vnũ verborum, alterũ sententiarũ: inter quæ illud interest, quòd verborum figura mutatis verbis tollitur; sententiarum permanet, quibuscunque verbis vti velis. De numero, nominibusq; figurarum inter scriptores non conuenit; nec verò esse certus numerus potest cùm nouæ quotidie figuræ excogitari queant. Ac figuræ quidem verborum tribus maximè modis fiunt, adiectione, detractione, similitudine.

Quint. li. 9. c. 1.

Quint. li. 9. c. 3.

De figuris verborum quæ adiectione fiunt. Cap. 21.

REpetitio est, cùm ab eodem verbo ducitur sæpiùs oratio, Cice.
In Ver. Accu. 1. Verres calumniatores apponebat: Verres adesse iubebat: Verres cognoscebat: Verres iudicabat.

Conuersio est, cùm in idem verbũ
Phil, 2. conijcitur sæpiùs oratio. Cic. Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos ciues? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius, &c.

Complexio est, quæ repetitioné, & conuersionem complectitur. Cice.
De leg. Agr. Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem populi partem suffragijs priuauit? Rullus. Quis comitijs præfuit idem Rullus.

Conduplicatio est, verborum gemina-

minatio, quæ habet interdum vim, leporem alias. Geminantur autē verba modis pluribus. Aut enim idem verbum iteratum ponitur, idque vel continenter, vt Cice. Confiteretur, confiteretur Iud. Vel aliquo verbo interposito, vt Cùm vestros portus, atque eos portus, &c. Aut idem verbum initiò positum refertur ad extremum. Idem. Potes domesticę laudis amplitudinem Scipio tueri, potes. Aut continenter idem verbum non in eadem sententia ponitur. Idē Principū dignitas erat penè par, nō par fortasse eorum, qui sequebantur. Aut post aliquā interiectionem repetitur. Idem. Bona (miserum me, consumptis enim lacrymis tamē infixus animo hæret dolor) bona, in quā Gnei Pōpeij acerbissimę voci subiectæ præconis. Respondent etiam interdum media primis, vt Virgil. Pro Mil. pro leg. Man. in Ver. Pro Lig. Phil. 2.

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda. Aeneid. 7

In Ver. 5. Interdum vltimis. Cice. Hæc nauis onusta ex præda Siciliensi, cùm ipsa quoque esse ex præda. Interdũ sententia tota repetitur. Ibid. Quid Cleomenes facere potuit? (nõ enim possum quenquam insimulare falsò) quid inquam, Cleomenes magnopere facere potuit?

Pro Arch. Traductio est, cùm verba paulũlum immutata ponuntur Cicero. Pleni sunt omnes libri plenæ sapientium voces, plena exemplorum vetustas.

In Cat. 1. Synonimia est, cùm plura verba idem significantia congregantur. Cicero. Abijt, excessit, erupit, euasit. Et cùm non modò verba, sed sensus quoque idem facientes coaceruantur. Idem. Perturbatio istũ mentis, & quædam scelerũm offusa caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt.

pro Milo. Polysyndeton est, schema, quod conne-

coniunctionibus abundat. Virg.

--Tectumque laremque. Geor. 3.

Armaq; Amyclæumq; canem, Cressamque pharetram.

Gradatio est cùm gradatim sursum versus reditur. Cice. In vrbe luxuries creatur, ex luxuria auaritia existat necesse est, ex auaritia erumpat audacia. Pro Rosc. Amerin.

De figuris, quæ detractione fiunt. Caput. 22.

DIssolutio, quam articulum alij vocant, est, cùm, demptis coniunctionibus, dissolutè plura dicuntur; siue verba, siue sententiæ. Cice. Sit in eius tutella Gallia, cuius virtuti, fidei, felicitati commendata est. Idē. De Pro. Consul. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secūdas res ornant, aduersis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Pro Arch.

Ad-

Aduinctio est in qua vnum ad verbum plures sententiæ referuntur. Id accidit vel præposito verbo Cice.
Pro Mur. Cedat forum castris, otium militiæ, stylus gladio, vmbra soli. Aut illato, quo plura claudantur, Idem. Cu-
In Ver. ius in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidē cæteri Siculi perspexerunt. Medium quoque potest esse, quod & prioribus, & sequenti-
In Ver. bus sufficiat. Idem. Saluti potiùs eorum consulā, quàm volūtati. Quod cùm sit coniunctio figura est.

Disiunctio est, cùm eorum, de quibus dicimus vnum quodque certo
Pro Arch. concluditur verbo. Cic. Homerum Colophonij ciuem esse dicūt suum; Chij suum vendicant: Salaminij repetunt: Smyrnæi verò suum esse confirmant.

Synecdoche, quam præcisionem vocat auctor ad Heremium, non tropus, sed figura est, cùm subtractum aliquod

aliquod verbum satis ex cæteris intelligitur. Cice. ad Brutum. Sermo nullus scilicet nisi de te, quid enim potiûs?

Syneciosis est, quæ duas res diuersas colligit hoc modo. Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

De figuris, quæ similitudine fiunt.
Caput. 23.

ANnominatio est, cûm paululum immutata verba, atque deflexa in oratione ponuntur. Fit autē multis modis. Adiectione. Cic. Si in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima flamma. Detractione. Idem. Qui cûm multa vita excedēs prouidit, tum quod te Consulē non vidit. Cōmutatione. Idem. Nō emissus ex vrbe, sed immissus in vrbem. Translatione. Idē. Videte Iud. vtrū homini nauo, an vano credere malitis. Hæc figura alioqui leuis sententiarum Pro Cla. Phil. 2. In Cat.

tentiarum pondere implenda est.

Similiter cadens exornatio est, cũ in eosdem casus verba eadunt. Cice.

Pro leg. Man. Primùm quanta innocentia debent esse Imperatores? quanta deinde in omnibus rebus temperantia? quanta felicitate? quanto ingenio? quãta humanitate? Idem. Hunc ego nõn diligam?

Pro Arch. non admirer? non omni ratione defendendum putem? Casus autẽ tam verborum intelligitur, quàm nominum.

Similiter desinens est, cùm siue in nominibus siue in verbis, siue in illis, quæ non declinantur similes exitus sunt. Cicero.

Pro Milo. Non modò ad salutem eius extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringẽdam. Differt hæc figura à superiore, quòd similiter cadens in nominibus solum, ac verbis similes habet casus: similiter desinens in omnibus orationis partibus similes potest habere

bere exitus. vt Audacter territas, Humiliter placas.

Compar figura est, quæ habet mēbra orationis quæ constant ex pari ferè numero syllabarum. Cic. Ita tan tum bellum, tam diuturnum, tam longè, lateque dispersum, quo bello omnes gentes tenebantur. Gn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit. Pro leg. Man.

Contrapositum, vel, vt quidam vocant Contentio, pluribus fit modis: Nam & singula singulis opponūtur. Cice. Vicit pudorem libido, timorē audacia, rationem amentia. Aut bina binis. Idem. Non nostri ingenij, vestri auxilij est. Aut sententiæ sententiis. Idem. Odit populus Rom. priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. Et crebra crebris. Est enim Iud. non scripta, sed nata lex, quam non dedicimus, Pro Cat. Pro Clu.

accepi

accepimus, legimus; verùm ex natu ra ipsa arripuimus, hausim⁹, expressimus.

Commutatio est, cum duæ sententiæ inter se discrepantes ita efferuntur, vt à priore posterior contraria priori proficiscatur. Cicer. Laborem quæstus recepit; quæstum laboris reiecit. Et. Vt sine inuidia culpa plectatur, & sine culpa inuidia ponatur.

Pro Rosc. Aem.

Pro Clu.

Atque hæc de verborum figuris; in quibus illud notandum est, multas earum frequenter cadere in easdem sententias. Quas quidem & parcè, & cùm res poscet, & cum varietate adhibere debet, qui iucundiorem velit facere orationem. Nam si eis immodicè, & sine iudicio vtatur, ipsam illam gratiã varietatis amittet. Sciendum igitur in primis, quid quisque in orando postulet locus, quid persona, quid causa.

De Figuris sententiarum. Cap. 24.

INterrogatio figura est, quoties nō sciscitandi gratia, assumitur, sed instandi. Cice. Quousque tandem abutêre Catilina patientia nostra? & Patêre tua consilia non sentis? Quantò enim magis ardet, quàm si diceretur. Diu abuteris patientia nostra, &c. Interrogamus etiã quod negari nō possit Idem. Nã quęro ex te, circunsessus ne sis Lãpsaci. Aut vbi respondẽdi difficilis est ratio. Quomodo? Quî fieri potest? Seruit etiam inuidię. Idem. Et erit dignior in terris locus, qui hanc virtutem excipiat, quã is, qui procreauit? Et miserationi. Ibidẽ. Reuocare tu me in patriam Milo potuisti, ego te per eosdem retinere in patria non potero? Et admirationi. Idem. Quæ species Italiæ? quæ celebritas oppidorum? quę forma regionum? qui agri? quæ fruges? Et indignationi. Id. Tantæne tuæ In Cat. I. In Ver. Pro Mil. Ad Quir. In Ver.

Verres libidines erant? Et hortationi. Idem. Et quisquã dubitabit quin huic tantum bellum hoc transmittendum sit? Et ipsi nos rogamus. Idē. Iam verò in rerum capitalium quæstionibus quid ego vnamquanque rem eligam?

Pro leg. Man.

In Ver.

Responsio figura est, cùm aliud interroganti aliud respondemus, quia sic vtilius est: vel augendi criminis causa: vt Testis in reum rogatus, an à reo fustibus vapulasset, & innocés, inquit. Tum declinandi, quod est frequentissimum. Quæro an occideris hominem? respōdet latronem.

Subiectio est, cùm orator vel interrogat seipsum, & respondet sibi, vel cùm alium rogauerit, non expectat responsum. Cic. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cùm hoc sciret, tamen me antequam vidit Reip. reddidit. Idem. Quid ita, ne vitiosum opus fieret? At erat pro

Pro Lig.

1. Ver.

bati

batio tua: ne parum locuples esset: at erat, & esset amplius, si velles.

Occupatio, quã Quintilianus præsumptionẽ, Græci Prolepsin dicũt, est cùm id quod obijci potest, occupamus: vt in Diuinatione. Si quis vestrûm Iud. miratur: quo orationis exordio Cicero rationem reddit, cur ad accusandum descendat, qui semper defenderit, quod illi obijci posse videbatur. Vide totum exordium. In exordio.

Correctio est, quæ tollit sententiã & aliam quę magis idonea videtur, eius loco reponit. Cic. Italiam ornare, quàm domum suam maluit; qu m quam Italia ornata, domus ipsa videtur ornatior. Aut verbum tollit, & corrigit. Cicero. Non enim furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum. Act. 3. in Ver.

Dubitatio est, cùm vtrum de duo-

bus potiùs, aut de pluribus dicat primum, quidúe prætermittat, quærit orator. Cice. Nam quid ego de Consulatu loquar parto bis? an ne gesto? & pro Ros. Ame. Quid primũ quærar Iudices? &c.

In Pis.

Pro Ros. Ame.

Communicatio est, quasi cum ijs, apud quos dicas, deliberatio. Cicer. Tu denique Labiene quid faceres in tali re, ac tempore?

Pro Rab.

Permissio est, cùm alicui rei vehementer confidimus, & ostendimus nos eam tradere, atque concedere alicuius voluntati. Cice. Quid expectas? proficiscere, nimiũm iam diu te Imperatorem illa tua Manliana castra desiderant.

In Cat. 1.

Concessio est, cùm aliquid etiam iniquum videtur orator pati, atque concedere, vt quæ deinde dicturus sit, grauiora videantur. Cice. Leuia sunt hæc in hoc reo crimina: metum virgarum Nauarchus nobilissimæ ciuitatis

In Ver. 7.

nitatis pretio redemit; humanũ: alius ne damnaretur pecuniam dedit; vsitatum est: non vult populus Romanus obsoletis criminibus accusari Verrem.

Ironia est, cùm contra, ac dicas, accipi, & sentiri velis. Differt à tropo, quòd tropus breuior est, & apertior: at in figura totius voluntatis fictio est. Cice. pro Liga. Nouũm crimen. C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum, & totum illud exordium. Pro Lig.

Sustẽtatio est figura, qua diu suspẽduntur auditorum animi, atque aliquid deinde inexpectatum subiungitur. Cice. Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam aliquam: deinde subiungit, quod erat improbius. Interdum etiam re aliqua exaggerata, ad aliquid leuius descenditur. Act. 7. in Ver.

Licentia est, cùm apud eos, quos aut vereri, aut metuere debet ora-

tor, tamen aliquid pro suo iure dicit, quod eos minimè offendat. Cicero. Vide quàm non reformidem, vide quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti ob oriatur. Quantum potero voce contendam, vt hoc populus. Rom. exaudiat. Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus sum, quę erant sumpta contra te.

Pro Lig.

Præmunitio est, cùm aliquid necessarium dictu, & insuaue audientibus, aut odiosum nobis dicturi sumus, idipsum præmunimus. Cicero. Quemadmodum accepturi P. C. sitis horreo: sed pro mea perpetua cupiditate vestræ dignitatis retinendæ & augendæ quæso, oroq; vos. &c.

Phil. 7.

Commoratio est, cùm orator versat sæpè multis modis, atque expolit vnam, & eandem rem, & hæret

ret in eadem, commoraturque sententia. Cicero. Tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædiũ Dijs Penatibus os importunissimũ ostendere? Phil.

Hypotiposis est illustris explanatio, rerumq; quasi gerantur sub aspectum pene subiectio, qua vel præterita, vel futura, loca, tempora, personæ describuntur. Cicero. Ipse inflãmatus scelere, ac furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. In Ver.

Ethopœia est morũ alienorũ, sermonumq; descriptio: nam & in factis versatur, & dictis. Cic. pro Sext. O Dij boni quàm teter incedebat, quàm truculenter, quàm terribilis aspectu. Et pro Mil. Valeãt, inquit, valeant ciues mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati, &c. Quint. li. 3. c. 1. Pro Mil.

Prosopopæia est personæ ficta introductio,

ductio, vt cùm Rempub. loquentem facimus, aut aliquem excitamus ab inferis, eique orationem tribuimus non abhorrenctemà dignitate; mutis ipſis rebus ſermonem damus, vt famæ, aut virtuti, aut volupaati. Cice.

In Cat. 1. Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vita multò eſt charior, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſpub. ſic loqueretur, M. Tulli quid agis? & quæ ſequuntur.

Reticentia, ſeu præteritio eſt, cùm dicimus, nos præterire, aut nolle dicere, quod tũ maximè dicimus. Cic.

In Ver. At quem hominem, Cai Verres, tanta, tam inſigni iniuria affeciſti? non dicam amicum tuũ, quod apud nos omnes chariſsimum eſt: non hoſpitem. & quæ ſeq.

Apoſtrophe eſt conuerſio orationis ab iis, ad quos habetur, aut ad præſentem, aut ad abſentem, aut ad Diuos. Cic. Vos enim Albani tumu-

li,

li,atque luci,vos,inquam,imploro, atque obtestor,&c.

Aposiopesis, quam nonnulli interruptionem appellãt, affectus animi ostendit,vel iræ.vt Virgilius.

Quos ego; sed præstat motos componere fluctus.

Vel solicitudinis, & quasi religionis. Cice. An huius ille legis, quam Clodius à se inuentã gloriatur mentionem facere ausus esset, viuo Milone,ne dicam consule? de nostrûm enim omnium, non audeo totum dicere. Pro Mil.

Empasis est, quæ plus ad intelligendum,quã dicitur,relinquit Virgilius de Cyclope loquens.

--Iacuitq; per antrum Immensum.

Vbi prodigiosam illam corporis magnitudinẽ è loci spatio intelligimus.

Distributio est, cùm aliquid in partes plures tribuitur,quarum vnicuique ratio deinde sua subiungitur, vt

Alexandro Macedoni neque in deliberando consilium, neque in prælia̅do virtus, neque in beneficio benignitas deerat. Nam cùm aliqua res dubia accidisset, apparebat sapientissimus; cùm autem confligendum esset cum hostibus fortissimus: cùm verò præmium dignis tribuendum, liberalissimus.

Deprecatio, quam vel obsecrationem, vel obtestationem alij appellant est, cùm opem vel ab hominib', vel à Diuis petimus. Cic. Per dexteram istam oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti.

Pro Deiot.

Optatio est, qua bonũ alicui precamur. Cice. Vtinam Dij immortales fecissent, &c.

Pro Mil.

Execratio superiori contraria est, qua malum imprecamur alicui. Cicero. Dij te perdant fugitiue, ita non modò nequam, sed fatuus, & amens, &c.

Pro Deio.

Epiphonema est rei narratæ, vel probatæ summa acclamatio. Virgilius.

Tantæ molis erat Romanam condere gentē. Aenei.1.

Exclamatio est, quæ conficit significationem aut doloris, aut indignationis, aut admirationis, aut lætitię, aut aliquem denique alium grauem animi motum declarat; idq; aut narrata re, aut amplificata: valet autem plurimùm ad exercitandos motus animorum. Cic. O spectaculum miserum, atque acerbum.

Transitio est, quę cùm breuiter ostenderit, quid dictum sit, proponit breui quid sequatur. Cice. Satis multa de turpitudine: dicam deinceps, quę exposui de periculo, &c. Quoniam de genere belli dixi, nūc de magnitudine pauca dicamus. Atque hęc de tropis, & figuris breuiter quidem pro instituti nostri ratione: quibus non temerè vtēdum est, sed dili-

Phil.7.

pro leg. Man.

diligenter videndū potiùs, ne alieno loco ponantur, ne eædē semper, sed vt mira varietate distinguatur oratio

De Collocatione. Cap 25.

Cice. 3. de Orato.

COllocatio erit optima si vinctā orationem efficiet, si cohærentem, si lenem, si æquabiliter fluentē. In ea necessaria sunt ordo, & iunctura. Ordinis obseruatio est in singulis verbis, & in contextis. In singulis cauendū est, ne decrescat oratio, & fortiori subiungatur aliquid infirmius; vt sacrilego fur, aut latroni petulans. Verbo sensum claudere si consuetudo patiatur, lōgè optimum est. Iunctura concinna erit, & elegans si verba extrema cum consequentibus primis ita iungamus, vt neúe asperè concurrant, neúe vastiùs diducantur; vt exercitus Xerxis. Ars studiorum. Neúe hiulcam reddat orationem vocalium concursus; vt viro optimo obtemperare.

Quod

Quod tamen neque ſemper negligere, neque vbique perhorreſcere debet orator. Breuium præterea verborum, ac nominum vitanda continuatio eſt, ne cõpoſitio minuta ſit, atque cõciſa: cõtra verò longorum, ne fiat tardior. Illa quoq; vitia ſunt, ſi cadentia ſimiliter, & ſimiliter deſinentia, & eodem modo declinata multa iungantur. Nec verba quidẽ verbis, aut nomina nominibus, ſimiliaque his continuari debẽt: cùm virtutes etiam ipſæ tædium pariant, niſi gratia varietatis adiutæ. Quæ omnia maximam quidem initijs deſiderant diligentiam; ſed ſtylus tamen exercitatus facilem efficiet hãc componendi viam.

De numero oratorio. Cap. 26.

INter oratorium numerum, ac poeticum plurimum interest: oratorium Græci Rhythmum, poeticum metrum vocant: & cùm vterq; conſtet

stet pedibus, non vtriusque tamē eadem est ratio. Versus enim, qui poetico constat numero certis legibus astrict⁹ est, vt nihil fiat extra præscriptum: at in oratione nihil est certū, nisi vt aptè verbis comprehendatur sententia, Itaque nihil refert in oratione Dactylone vtaris, an Anapæsto, cùm eodem temporum spatio vterque constet: in versu pro Dactylo poni non potest Anapæstus.

De pedibus, qui sunt oratoriæ compositioni maximè appositi. Cap. 27.

Pedes duarum syllabarum.

Spondeus constat duabus syllabis longis, vt Mittunt.

Iambus breui, & longa, vt Amant.

Choreus longa, & breui, vt Munus.

Trium syllabarum.

Dactylus longa & duab. breuibus, vt Pondere.

Anapæstus duab. breuib. & longa, vt Dominos.

Creti-

Creticus longa breui, & longa, vt Commo- uent.

Quatuor syllabarum.

Pœon primus longa, & tribus breuibus, vt Temporibus.

Pœon quartus tribus breuibus & longa, vt Calamitas.

Quinque sylabarum.

Dochimus constat ex iambo & cretico. vt Reipublicæ.

Qui pedes cuique periodi loco aptiores sint. Cap. 17.

TOta periodus numerosa esse debet: falluntur enim qui censent, cadere tantùm numerosè oportere, terminarique sententiam. Sed non omnes omni loco apti sunt pedes. Atque initio quidem periodi illi ab optimis auctoribus apti censentur, Dactylus, Pœon primus, Anapæstus, Creticus, Dochymus, Spondeus, Pœon quartus tum singuli, tū permixti. In finem periodi, qui maximè

xime numerosus esse debet, illi pedes, optime cadunt Iambus & Dispondeus. Dichoreus, Creticus & Spódeus; Creticus geminat⁹. Pœon. primus & Spondeus: Spondeus, & duo Cretici. Creticus & Anapæst⁹: Anapæstus, & Dactylus. In media periodo, vt Cicero sentit, oẽs esse debét permixti, & quasi confusi pedes. Videndum igitur est, ne aut breues, aut longæ syllabæ nimiũm frequententur, sed aliæ alijs commisceantur ac temperentur. Cũm verò res celeritatem desiderat, aptus est Tribrachus, qui tribus breuibus cõstat: sin grauitaté, Spondeus. Fugiendum auté esse versum in oratione, omnes dicẽdi magistri docent; Cic. etiam versus similitudinem. Sed iam quæ præceptis docuimus ipsis ea singulorum progymnasmatum exemplaribus, quantum puerilia ingenia postulant, exprimamus: ad quæ nos

styli

ſtyli facilitate accommodare maluimus, quàm grauitate orationis, exquiſitaque eruditione orationē ipſam rudibus pueris obſcuriorem reddere.

PROGYMNASMAtum exempla ex ſuperioribus præceptis.

Fabula ex Aeſopo deſumpta.

Leo ſenio confectus, cùm ſuppeditare ſibi cibum non poſſet, decreuit id aſtu quærere. Itaq. profectus ad antrum quoddam, & deiectus ſimulabat ægrotare. Aduenientes igitur animantes viſitationis gratia comprehēſas deuorabat. Multis igitur abſumptis animantibus, vulpes, ea arte cognita, acceſſit ad ipſum, & ſtans extra ſpeluncam rogitabat, quomodo ſe haberet, cùm autem is dixit, Male cauſamque rogaret, quamobrem non ingrederetur, vulpes ait. Quia me veſtigia terrent.

Omnia te aduerſum, ſpectantia nulla retrorſum.

Significat fabula, prudentes homines coniectura præuiſa pericula vitare.

Fabulæ ſuis locis dilatandæ.

Exemplum.

Exordium à laude. NVlla præſtantior eſt hominum animos bonis moribus imbuendi ratio, quàm quæ ita docet, vt præclaram ſimul doctrinam ingenijs afferat, & animos ipſos afficiat voluptate. Quæ enim grata, atque iucunda ſunt auditu, ea & ſtudioſiùs excipiuntur auribus, & auidiùs arripiuntur, & multò firmiùs mentibus, atque animis inhæreſcunt. Quæ docendi facultas, vt præclariſsima, ſic etiā ſingularis ingenij eſt, maximæque prudentiæ. Quo in genere nunquam ſatis dignè laudari poteſt Aeſopus ille, qui in fabulis confingendis mira eruditione pleniſsimis ſuum

suũ illud excellens ingeniũ, & prudentiam eximiam ostendit. Lepida enim rerum fictarum narratione, & vtilia communi hominum vitæ, & animorum saluti maximè salutaria præcepta tradidit. Ex quibus quidē fabulis non minùs vtilis, quàm elegans, & ingeniosa illa est, quam de leone, ac vulpe confinxit. Qua nimirum docet, in rebus gerendis prudentes homines esse debere; atque ita se gerere, vt neq; leuiter moueantur, & omnia attenta consideratione perpendant: quid fraudis, ac doli, aut quid denique periculi in quacũque re latere possit, odorentur, & ex signis, coniecturisque prouideant. Leo, inquit, fortissimum, ac ferocissimum animal Rex, atque princeps animantium, reliquarum cùm fame aliquando pene confectus victum sibi comparare nō posset, experiri voluit, num calliditate, atque

Ab expositione.

A leonis natura.

fraudibus ad tuēdam vitam,ac ſuſtē-tandam plus valeret, quàm viribus, quàm potentia, atque in vniuerſum animantium genus valuiſſet imperio. Itaque morbum ſimulans in antrum ſe includit,humi ſternitur queſtibus implet totum illum locum, ac breui agræ ſuæ valetudinis rumores ſpargit in vulgus. Vix ea ex antro fama manarat,cùm animantes pluri-mæ, quæ in abditiſsimis locis ipſius leonis metu latitabant, ſe è latibulis efferunt,atque in lucem dāt: nihilq; doli, nihil fraudis ſuſpicantes certatim ad antrum leonis inuiſendi cauſa concurrūt: vbi ſæuiſsimus leo nullo negocio feras plurimas laniare,acde-uorare potuit, qui nullas antea vrgē-te,ac ſtimulante fame, aut capere, aut inueſtigare potuiſſet. Hæc eadē affectæ Regiæ valetudinis ad vulpis aures fama peruenit; ſed animan-tium callidiſsima nōn facilè rumori-bus

bus credit, & quamuis audit, leonis antrum à reliquis feris frequentari, regemq; suum periculosè decumbẽtem inuisi, ipsa tamẽ nihil mouetur: & in tam subito morbo plus simulationis, ac fraudis, quàm veritatis inesse suspicatur. Nosco, inquit, leonis immanitatem, nosco crudelitatem, atque tyrannidem, qui vsque adeo sæuire solet in suos, vt eorum sanguine, carnibusq. pascatur. Quoties ego iam latebris me abdens sæuissimas illius manus effugi? quoties illius me vnguibus eripui? quoties mei corporis laniatus, ac carnificinã fuga vitaui? Non erit igitur prudentiæ, atq. consilij, quo vitam toties seruaui, mortis me periculo temerè cõmittere, atque ipsis vltro leonis vnguibus, ipsis dentibus, faucibusq; offerre. Hæc secum vulpes agebat, illud verita, ne si leonem adiret, illius potius famem, ac ventrem expleret A sermocinatione

quàm molestiā morbi leuaret. Sed prudenter tamen considerans, ne si vera essent, quæ de leonis morbo dicebantur, lætari ipsa illius incommodis videretur, nisi ægrotantem illum inuisisset, adire antrū decernit, odorari, ac perscrutari omnia, & quantū assequi coniectura posset, videre, quid in ea re periculi, discriminisq; subesset. Ad illud ergo cùm peruenisset, consistit non procul ab ostio, antrum ipsum introspicit, vacuum illud videt, quod, vt erat pene innumerabilis ferarum multitudo, quæ eò confluxerat, magna esse oportebat celebritate refertum: tum demum dolos intelligit, planeque cognoscit. Nam in ipso itinere illud etiam obseruarat: quæ pecudum vestigia in terra videret expressa, ea quidem omnia illarum esse, quæ antrum ingressæ fuerant; cùm nullius tamen inde exeuntis vestigium ap-

pareret. Ergo apud animum suum statuit, antrũ non ingredi, ne, si cæterarum animantiũ vestigia persequatur, candẽ subeat temeritatis pœnã: Sed ex antri tamen limine, vt & salutis suæ consulat, & officio functa videatur, leonẽ salutat, ac rogat, quomodo se habeat. At ille quasi vulpis aduentu lætum se ostendẽs, non minùs callidè orationem simulat, quàm morbũ simularat: vt si ea ratione versutissimã vulpem decipere possit, ac capere. Mutata, igitur voce, & ad miserabilem sonum inflexa, qui grauitatem indicaret morbi. Quid tu, inquit, non ingrederis vulpes charissima? cuius ego conspectu sic recreor, vt mihi iam videar magnam vim morbi depulisse. Cur vna tu reliqua es, quæ me tanto morbo laborãtẽ non inuiseris? Itane te nostra mala commouent? Sic de nostris incommodis laboras? Quòd si nulla ferarũ A sermocinatione

ad me ægritudinis leuandæ causa venisset, magna quidem omnium, sed non tua præcipua culpa esset, nisi aliquid etiam amplius, quàm ceteræ pro meo in te amore efficere ipsa mea causa debuisses: nũc verò cùm videas nullã fuisse natura sua ita crudelem, & immanem, vt non mihi vniuersarum Regi officiũ debitũ præstiterit, quid est quod te à cõspectu nostro deterreat, nisi quòd vel in nostris malis voluptatem capis, vel te illa certè minimè tangunt? Quanuis ne hoc quidem persuadere mihi de te possim, neq; ita existimare, quod stultissimæ, ac stupidissimæ animantes officium tam diligenter præstiterunt, idem à te omnium prudentissima fuisse neglectum. Sed quidquid illud sit, do hoc amori in te meo, tibique libẽter ignosco, dummodo tuã in me inuisendo tarditatem, aut negligentiam magna deinceps diligentia,

tia, & aſsiduitate compenſes. Quare ingredere tandem, ac meum iucundiſsimo tuo ſermone à dolore animum auoca, ipſamque morbi moleſtiam minue. Quam leonis orationem cùm vulpes audiuiſſet, certa iã quid ille maximè cuperet: Ego verò, inquit, eo animo veneram, vt tibi pro mea in te obſeruãtia adeſſem laboranti: ſed quo minûs antrum ingrediar, illud me deterret, quod nullum ad nos, omnia verò ad te ferarum veſtigia ſpectare videam: cùm tamen in eo nullam omnino pecudẽ eſſe conſpiciam. Quod cùm illa dixiſſet, leonis vim, atque ſæuitiam timens, eo deluſo ſaluti ſuæ fuga conſuluit. Quis hîc vulpem non prudentiſsimam fuiſſe dicet? quæ primũ famæ, ac rumoribus non temerè credidit; deinde cuius potentiæ exiguis ſuis viribus reſiſtere ſe nõ poſſe cerneret, eum prudenti conſilio ſuperauit.

A collatione. rauit. Quantò hæc meliùs, atque sapientiùs fecit, quàm lupus ille, qui cùm asinum cepisset, atque opima exultaret in præda, eius oratione cõmotus, quem mox esset deuoratur⁹: ad euellendum ipsis dentibus ex ipsius pede clauum, quo se ille cruciari diceret, cùm accessisset, & salutẽ sua temeritate stupidissimo animanti, & sibi iustissimam in perpetuum lugendi causam attulit: cum & ille aufugerit, & ferratis calcibus totum os lupi ingenti vulnere cruentarit.

A contrario. Sed vt ille nimis credulus, atque imprudens periculum non cauit, quod prouidere potuit: sic prudentissima vulpes cautione adhibita, neque vllam fictis sermonibus fidem habens, suam vitam seruauit incolumem: quam, si leuiter credidisset, non secus atque reliquæ pecudes amisisset.

Epilogus. Quis igitur non videt, quàm sapienter hæc nos fabula doceat; ne

nos multitudinis impetu facilè ferri patiamur, ne quod multi faciunt, id ob eam causam à nobis statim probandum esse existimemus, nisi priùs quale id sit attento animo perpenderimus: ne quæ vulpi non defuit ad periculum vitandum prudentia, homini ratione prædito deesse videatur.

Narrationis amplificandæ exemplum.

NOn erit inutile puerorum exercitationi, rem priùs breuiter narrare, mox ipsam schematis, amplificationibusque augere: vt vtrunque illi discant, cùm pro re, ac tempore, res modò strictè, fusiùs modò, copiosiusque narrari necesse sit. Atque hui⁹ quidem narrationis, quam subijciemus, veritatem Gandeui erecta publicè statua sempiterni monumenti causa confirmat.

Histo-

Historiæ breuis narratio.

Gandeui, quæ Flandriæ ciuitas est, sceleratus quidam pater suum ab adolescentia filium ad omne facinus sic instruxit, vt eum sibi scelerum administrum adhibuerit. Deprehensi aliquando in flagitioso facinore pater & filius capite à iudicibus damnatur. Cum verò tortor nullus esset in ciuitate, qui extremo illos supplicio afficeret, vsuram vitæ iudices parenti promittunt, si & deinceps publico carnificis munere fungi velit, & illud tum primum in filium exerceret. Quam miseram conditionem cùm recusasset pater, delatam ad se filius libenter admittit. Itaque is, vt vitam suam seruaret incolumem, & tortoris deinceps in iudicio damnatos munus exercuit, & parentis sui sæuissimus iam carnifex, publicè caput amputauit.

Narratio eadem fusius tractata.

QVanti momēti sit honestę puerorum educationi diligentissimam curā adhiberi, & si plurima exempla testantur, quæ eiusdem vel di-

ligen-

dilig~eter susceptæ felicissimos euentus, vel penitus neglectæ miseros iuuenum casus, exitusque proponũt: illud tamen, quod dicam, ita insigne est, vt ipsorum etiam iuuenum causa, qui me audiũt, dicere per horrescam. Obsecro tamen vos, optimi adolescentes, cùm tantum facinus audieritis, si illud hominis dignitate c~e sueritis indignum, si tetrum, si immane, si vel aures ipsę tantam feritatem respuant, si animi vestri auctorem t~ati sceleris aspernentur, proponatis apud vos; illum ex memoria hominum delendum potiùs, quàm alterum reperiri posse adolesc~etem, qui tantum flagitium imitari velit. Gandeuum ciuitas est in Flandria, qua in ciuitate flagitiosus quidam pater, n~o solùm honestam filij educationem neglexerat, sed illum etiam suorum scelerum, ac flagitiorum sibi socium, commitemque adiunxerat. Deprehensi

hensi in flagitio pater, & filius à iudicibus, coniiciuntur in vincula, nec multò post plurimis conuincti criminibus capite damnantur. Supplicij, atque mortis tempus aduenerat, cùm nullus iustitię minister reperitur, nullus tortor, nullus carnifex, qui munus exercere velit in reos. Quid tum? Misera defertur parenti conditio; vt si tortoris deinceps officio fungi velit, ac suum publicè filium extremo supplicio primùm afficere, & vitam retineat, & impunitatem tantorum scelerum consequatur. Audite, audite rei exitum, qui pluri- mum quidem habet & admirationis, & doloris. Refugit tantam immanitatem parentis animus, passus non est humanitate ductus ei à se vitam eripi, quem genuerat: petit à iudicibus, vt ea conditio deferatur filio; defertur; admittit il-

le. O crudelitatem incredibilem! ô immanitatem prædicandam! ô feritatem nunquam auditam! Recusat pater necare illum quem procrearat; filius auctorem suæ vitæ trucidare non recusat. Educitur ergo è custodia pater, & filius: vinculis ille circumligatus vltimo afficiendus supplicio; sed propter inauditam impudentiam, atque impietatem filij, sempiternamque sui generis dedecoris, ac turpitudinis notam intimo iam animi dolore, atque lacrymis pene confectus; hic solutus ac liber, læto, atque alacri animo cum, à quo vitam acceperat, vita priuaturus. Maximus fit vndique concursus hominum, quos tantæ rei nouitas, atrocitas, expectatioque commouerat; eosque tota ipsa ciuitas effusa prosequitur; cùm interim in

in tanta turba, atque in tanta rei indignitate varij excitarentur animorum motus: alij admirari immanitatē filij; alij parentis miseram conditionem dolere; illum grauiter accusare; huius magnopere misereri, qui tantum mostrum, atque portentum genuisset. Ventum tandem est ad constitutum locum, & tamen circumfusus populus persuadere sibi non potest, tam ferreo animo futurum esse filium, vt parentis sui squalore, ac lacrymis minimè moueatur: expectat, vt cùm parentis vultum intueatur, miserabilis senectutis canos, ac rugas contempletur, paterni amoris suauitatem meminerit: cùm item in illum parens vultum, aspectumque conuertat, cùm obortis lacrymis paternum in morem suauissimè cótorqueat oculos, sententiam ille mutet, se ad parentis pedes proijciat, pro accepta misera illa conditione veniam

veniam deprecetur. Nihil tamen minus. Quid ergo? expectatis vos, credo, auditores optimi, vt cùm gladium sumat in manus, tũ demum suum sanguinem profundere, ac perdere perhorrescat. Comparat se interim ad necem, atque infelicem exitum miserrimus senex, lacrymas continere non potest, cùm videat ante oculos suos filium, qui sui carnifex esset futurus. Se item filius ex altera parte ad necem faciendam parat, omnem prorsus pietatem, atque humanitatem exuit, & humana figura induit feritatem, atque immanitatem belluæ: gladium audacissimè capit in manus, impudentissimè vibrat, parẽtis denique caput tollit ex humeris. Quid, rogo, auditores, optimi. Sol vnquam vidit indignius? Quis arbitraretur tantam immanitatem in humanum animum cadere posse? Sed hic nimirum est in educandis, atque

honeſtè in inſtituendis liberis negligẽtiæ fructus: hic eorum eſt exitus, qui à libidine, atque voluptate duxerũt viuendi primordia.

Chriæ actiuæ exemplum.

Christus Opt. Max. cùm aquam in peluim infudiſſet, pedes diſcipulorum lauit, & exterſit linteo, quo erat præcinctus. Ioannis. c. 13.

PRæcipua propoſitę Chrię tractandę loca, & quid in ſingulis dici poſsit, leuiter attingamus. Quod quidem à prçceptoribus fieri, etiam ſi cum aliquo eorum labore, valde vtile eſſet pueris, cùm ſe illi exercere incipiunt. Nõ enim illis ſatis tunc eſt rerum omniũ planè rudibus noſſe prçcepta, videre inuẽtionis loca: niſi quid tibi lateat ab ipſis prçceptoribus eruatur, iiſdemque proponatur oratione tractandum: vſque dum ipſa quotidiana exercitatio aliquam illis inueniendi facultatem afferat.

Hęc

Hęc igitur in propoſita Chria ſeruari poteſt ratio.

Argumentum.

L*Aus exordij peti poteſt a ſummo Chriſti Opt. Max. ſtudio in ſalute hominum procuranda.*

Eſpoſitio ſit; Voluiſſe Chriſtum Dominum illo facto nobis præbere ſummiſsionis exemplum.

Cauſa; Quia hoc maximè ſuperbiæ morbo hominum genus laborabat, cui præcipuè mederi ipſe voluit tam admirabili ſummiſsionis exemplo.

Contrarium. Si enim hic morbus ſanatus non eſſet, qui fuiſſet cauſa cæterorum, nulla eſſe poſſet ſalutis ſpes.

Simile; Quemadmodũ non ſatis eſt arboris ramos amputare, niſi eam radicitus extrahas, vt amaros fructus non ferat.

Exemplum tum ab alijs, tum à D. Franciſco peti poteſt, qui Chriſti exemplum imitati ſunt.

Testimonium sit eiusdem Christi. Exemplũ enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.

Epilogus superiora capita leuiter perstringet, & exhortatiunculam ad humilitatis studium continebit.

Hæc igitur sunt quasi mēbra orationis nuda, ea nos vestiamus, atque ornemus, quantùm instituti nostri breuitas ferat. Quæ quidem argumenta proponendi ratio facilem pueris ad aliquid efficiendum viam aperiet, ac muniet.

Idem argumentum amplificatum.

Exordiũ à laude. SVmmus ille humani generis vindex cùm ex diuino sui parentis imperio statuisset, miseros homines supplicijs addictos sempiternis à tā sæua tyrānide in libertatem, dignitatemque pristinam vindicare, ob eamque causam humanam naturam induisset, tam ardenti inflammatus charitate tantum opus aggressus est, atque

que perfecit, vt ab ipso die, quo pri mùm lucem hanc mortalis aspexit, ad extremum vsque spiritum nihil prætermiserit, quod ad ipsorum hominum salutem procurandam perti neret. Neque verò eadem charitate incensus satis sibi putauit esse, si di ra illos seruitute liberaret, nisi etiam ostenderet, qua illi ratione possent restitutam sibi libertatem conseruare. Quare eam vitæ rationem instituit, hominibusq; proposuit ad imitandum, quæ plurimis virtutum om nium abundaret exemplis; quam si ijdem sequerentur, eadē ratione red ditam sibi libertatem retinerent, qua illam ipsis eiusdem auctor comparasset. Quæ quidem exempla vitæ, atque morum cùm omnia sint omni admiratione digna, digna planè ipso Deo, tum illud est ad humanæ vitæ institutionem longè pulcherrimum, quod suprema illa nocte, quæ eius *Expositio*

morti proxima fuit, ipsa obstupescē-
te natura edidit: cùm post celeberri-
mam illam cœnam, quam cum suis
discipulis in vita vltimam celebra-
uit, iisdem ex ordine constitutis, ad
singulorum se pedes abiecit, vt eo-
rum sordes ablueret. Quo tam admi
rabili, tamq́; inaudito summissionis
exemplo nos profectò docuit salu-
tis nostræ auctor, atque magister vi-
tæ, quàm nobis chara illa virtus esse
deberet, quā idem sæpe grauissimis
verbis in vita, ipso verò proximo
morti tempore & verbis nobis, &
re ipsa commēdasset. Quid enim is,
cuius admirabili sapiētia effecta sunt
omnia, cuius potentia conseruātur,
cuius voluntate, nutuq; regūtur, ad
sordidissimos rudium, contemptissi
morumq́; hominum pedes se demit
teret, atq; in eorum sordibus abluen
dis, ac detergendis vili seruorū mu-
nere fungeretur; nisi qui se nobis ex

emplar

emplar vitæ præbuiſſet, idem pręſtã tiſsimã hanc virtutẽ egregio illo facto perſuadere vellet? Sed quid tãta A cauſa. illa maieſtas tantopere ſe depreſsit, cũ id ipſum multis alijs rationib⁹ præſtare poſſet? Iã hic ardẽtiſsimũ Chriſti Opt. Max. noſtræ ſalutis ſtudiũ maximè cernitur, diuina ipſius ſapiẽtia in eadẽ procurãda maximè elucet. Quæ enim tanto morbo, tã inueterato, quo vniuerſi homines miſerẽ tenebantur oppreſsi, vtilior, ac melior ad ſalutẽ recuperandã medicina potuit afferri? Vidit enim, viditChriſt⁹ Opt. M. intolerabili ſuperbia elatũ hominẽ in tãtã miſeriã incidiſſe: deq; eo ſtatu ſũmi honoris, ac digni tatis, in quo à ſũmo parẽte cõſtitut⁹ fuerat, nõ modo deturbatũ, ſed ad ſẽpiternas etiã pęnas fuiſſe depreſſũ. Ergo vt huic tãto malo remediũ afferret, abiecit ipſe ſeſe, & ita abiecit atq; depreſsit, vt incredibilẽ amẽtiſsimi

hominis ſuperbiam, admirabilis eius ſubmiſsio ſuperarit. Non enim ſe homo ſuperbiſsimus taminaniter extulit, cùm ipſi Deo æqualem ſe eſſe amentiſsimè concupiuit, quàm verè ſe Chriſtus ipſe depreſsit, cùm ad hominum pedes abiectus ne hominibus quidem par videri voluit: vt ea ratione magnitudinem humani morbi cæleſtis, diuinæque medicinæ

A contra
rio.

vinceret magnitudo. Quæ niſi eſſet adhibita, quæ nam eſſe poſſet aut recuperandæ, aut retinẽdæ ſalutis ſpes? Etenim venenũ illud, quod temerariꝰ homo mali Dęmonis fraude deceptus hauſerat, ſic penitus hæſit in venis, ſic totum ipſum hominẽ contaminauit, vt multos ex eo morbos, mortiferoſq; cõtraxerit. Quid? non ne illa ſuperbiæ labe humanus animus infectus ſic eſt, ſic tota hominis deprauata natura, vt omnibus deinde ſe flagitijs inquinarit propen

ſione

ſione quadam, ac voluntate? Quæ enim illi reliqua ſunt ornaméta virtutum? quod verò turpitudinis genus primo illo decore amiſſo non ſuſcepit? Quæ vis æquitatis? quę forma iuſtitiæ? quæ honeſtatis ſpecies? quæ iam inter ipſos homines fides? quæ denique religionis, ac probitatis veſtigia remanſerant? vis planè, & iniuria æquitatis, atque iuſtitiæ; probitatis, ac honeſtatis omnis improbitas; fidei fraudes, ac doli; religionis ſacrarum, diuinarumque rerum contemptio; omnia deniq; vitia, atque ſcelera virtutum omnium locũ occuparant. Quę quidem omnia cũ ab vna ſuperbia tãquam à fonte manarint, niſi hac penitus ſublata, deleri illa, extinguique non poſſent. Nã quemadmodum arborem, quam neque fructus illos ferre, neque ramos velis producere, ſatis non eſt leuiter amputaſſe, niſi eã radicitus euellas: A ſimili.

sic neque cæteris humani animi mor bis medicinã adhibuisse, satis esset, nisi quæ illorum causa extitisset, tol leretur: cú vt illa ramos ex trúco, fru ctusque produceret, sic malorũ omniũ causa superbia maiora quotidie in animis mala ingeneraret. Quã vero aliam ob causam summos quosdã viros, atque excellenti virtute præditos se ipsos tantopere contempsisse, neglexisseque putam⁹, vt cũ om nibus virtutibus plurimùm studerét, in hac tamẽ vna omnia sua studia col locasse viderentur, nisi quòd ita exi stimarint: quemadmodum superbia ex hominũm animis sustulisset fundamenta virtutum, sic easdem penitùs euersas debere humilitate fundari. In quo numero, vt reliquos taceam, qui sunt prope infiniti, diuinus ille Franciscus maximè excelluit, qui pulcherrimam hanc virtuté sic adamauit, vt nihil ei gratius pos-

Ab exem plo.

ſet accidere, nihil optabilius eueni-
re, nihil iucundius offerri, quã pro-
bra, quàm contumeliæ, quàm gra-
uiſsimæ iniuriæ, atque in obliuione
omnium contemptionis cauſa verſa
ri. Iam verò idem ipſe Chriſtus Opt.
Max. eximio illo humilitatis exem-
plo, quid à nobis maximè vellet, nõ
modo reipſa docuit, ſed etiam ver-
bis expreſsit. Exemplum, inquit, de
di vobis, vt quemadmodum feci vo-
bis, ita & vos faciatis. Digna profe-
ctò vox, cui attentiſsimas aures, atq;
animos demus. Quid eſt hoc Chiſte
ſanctiſsimè? Cũ mortuos ab inferis
excitas cùm ægrotis corporib⁹ ſani
tatem reddis, cùm à malo Dæmone
vexatos, atque afflictos homines li-
beras, cùm integros populos ora-
tionis tuæ ſuauitate commoues, vt
te quocunque iter facias, relictis
ſuis ſedibus, proſequantur: non iſto
modo cum diſcipulis tuis agis; non
illos

A te ſimo nio.

los, nosque eorum posteros excitas ad imitationem tui: quin & illa ipsa, quæ ad imitandum eisdem proponebas, charitatis, humanitatis, patiētiæ, reliquarum denique virtutum præclarissima exempla non ista ratione commendas: cùm verò te seruilem in modum vilissimorum hominum demittis ad pedes, cùm immūdissimas eorum sordes diuinis istis manibus abluis, atque detergis, quibus cælos condideras, terras effeceras, omnia suis certis locis, atque sedibus sapientissimè collocaras, tum te illis exemplum prębere dicis, quod imitētur; tum eos ad tam admirabilis facti imitationē grauissima oratione exhortaris. Quid, inquā, hoc nisi illud est? eam te nobis virtutem commendare maximè voluisse, qua cæterę vt firmissimo fundamento nitūtur; sine qua illæ existere in animo minimè possunt; vt quibus superbia omniū virtu-

virtutum ornamenta detraxerat, iiſ-
dem vera ſummiſsio animi eadē ipſa
reſtituat, reſtituaq́ue cōſeruet. Quis Epilogus.
igitur erit tam amens, qui cæleſtem
Chriſti diſciplinam abijciat, atq; con-
temnat? qui cùm illum videat, vt no-
bis exemplum prębeat, ſponte ſuâ
abiectum, atque depreſſum, ſe ina-
niter efferre audeat? qui parentem
illum primum, qui elatus ſuperbia
nos ad interitum perduxit, quàm ve-
rum parentem Chriſtum, cuius bene-
ficio ab interitu reuocati ſumus, imi-
tari malit? Quare qui ſaluti ſuæ con-
ſulere, qui virtutum pulchritudine
ornari, vitiorum turpitudinem vita-
re velit, vitet ſuperbiam, atque ela-
tionem animi: humilitatem amet, &
amplectatur: vt eum imitatus, qui vt
exemplo nobis eſſet, humillimus &
eſſe, & videri voluit, ad altiſsimum
illum, ad quem idem ſublatus eſt,
ſummę dignitatis, & ſempiternę glo-
riæ

riæ locum ascendat.

Sententiæ tractandæ ratio.

Virtutis rami ex laboribus, atque sudoribus producuntur in Platone.

Argumentum.

LAus à Platonis sapientia peti potest.

Expositio sit. Platonem significare voluisse cui virtutis pulchritudo placeret, ei in eâ consequenda plurimùm esse elaborandum.

Causa; Quia cùm singulis virtutibus contraria aduersentur vitia, nosque propter deprauatam, corruptamque naturam quasi quodam impetu ad vitia feramur, in his vincendis magna existat difficultas necesse est.

Contrarium. Si enim nulla esset in virtute comparanda difficultas, omnes omnibus virtutibus florerent. Sed quos illarum pulchritudo allicit, difficultas ipsa deterret: quibus euellenda sunt vitia, vt virtutes inserant.

Simi-

Simile. Quemadmodum nocentes herbæ euellendæ sunt, vbi fructuosiores plãtas serere velis.

Exemplum. Nemo in otio, ac desidia virtutis fructus cepit: quicunque verò virtutibus claruerunt, eos labores multi, atque difficultates exercuerunt. Exemplo esse potest patientißimus Iob, quem laborum tolerantia clarißimum reddidit.

Testimonium. Hoc ipsum confirmat B. Iacobus cùm, Beatus, inquit, vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ.

Epilogus superiorum capitum breui repetitione, & ad laborum patientiam exhortatione constabit.

Idem sententiæ argumentum fusiùs tractatum.

INter Philosophos illos, quos omni doctrina instructissimos tantopere celebrauit antiquitas, diuinus ille Plato sic ingenio, sapientiaque

excelluit, vt cùm inter cęteros comparationi sit locus, alijque alijs sapientiores habeantur, huic tamen omnes primas planè deferant, eumque sine controuersia philosophorum principem, ac parentem appellent. Cuius quidem sapientia in eo maximè claruit, quòd homines sic ad bene viuendum instrueret, & informaret, nihil vt in vita expetendum doceret, nisi quod esset cum virtute coniunctum: virtutis autem obtinendę causa omnes labores & libenter excipiedos, & fortiter esse perferendos. Quod cùm alijs plurimis, tum eximia illa sententia pręclarè, sapienterq; confirmat, cùm sic monet: Virtutis ramos ex laboribus, sudoribusq; pro-

Expositio duci. Eò enim spectat viri sapientissimi tam pręclara vox, vt hominum animos ad omnes labores virtutis causa suscipiendos excitet, & incendat. Nam virtutem quidè ipsam hominibus

minibus commendare, nó valde necesse putat: cuius pulchritudo nemo tam cæcus est, quem nó mirabiliter capiat: cuius dignitas, nemo tam improbus, quem non alliciat ad amoré sui: cuius excellentia, nemo tam abiecto animo, atque demisso, quem non sui admiratione excitet, atque commoueat. Sed illud iisdem persuadere plurimùm interesse existimat: cuius pulchritudinem adamarũt, cuius dignitatem concupiuerunt, cuius excellentiam admirati sunt, eam vt consequãtur, valde sibi esse laborandum: atque eò quidem diligentiùs, quò maiori eiusdem studio teneantur. Cùm enim natura hominũ plurimis vitijs de prauata sit, planeque corrupta, virtutibus verò singulis sua aduersa sint vitia, maximeque contraria, fit profectò, vt in illis comparandis multę difficultates existant, quas vt superare posimus, ac A causa.

vincere, magnus nobis est, ac diligens labor adhibendus. Quis enim neget, in æquitate, atque iustitia perpetuò conseruanda magnam quandam difficultatem inesse? Quam vt teneas, tuo sępe incómodo ius aliorum tuerare necesse est: aliorum etiã sæpe vtilitatē anteponas tuæ. Quid vt temperantiam assequare? quę sensus tenet, effrænatos appetitus domat, cupiditates coercet, & cohibet, quę non quod maximè gratum, & iucundum sit, sed quod maximè honestum, laudabileque complectitur. Iam verò vt fortitudinis laudem adipiscare, quàm multa tibi sint aduersa subeunda? Non enim hęc virtus præclarissima in flore, atque viola, non in delitijs corporis, non in rebus ad nostram voluntatem fluentibus apparet, sed in maximarum rerum tolerantia spectatur, & cernitur. Nam quid ego cęteras virtu-

tês persequar? quarum nulla omnino est, cui non sit aduersarium aliquod vitium promptum, atque paratum, cum quo nobis, si sequi illam velimus, fortiter sit, acriterque pugnandum. Quòd si virtutis facilis esset via, si ad eius laudem assequendam non priùs essent vitiorum monstra superanda, ecquis esset tam excors, atque amens, qui nõ ad eam contenderet, ac toto animi impetu raperetur? Nati enim sumus ad gloriam: qua vt maior esse nulla potest, quam quæ ex vera virtute proficiscitur; sic, rei difficultate sublata, nihil auidiùs expeteremus, nihil studiosiùs sequeremur, nihil constantiùs teneremus. Sed proh dolor! plus apud nos voluptas corporis ad turpitudinẽ, quàm virtutis dignitas valet ad gloriam. Itaque distrahitur sæpe animus noster ancipiti deliberandi cura,

A contrario.

& quem ex altera parte virtutis allicit pulchritudo, atque, præstantia, ex altera labor, difficultasq; deterret. Quod laudabile in illa, atque gloriosum videt, id magnopere appetit, quod verò difficile, laboriosumque proponitur, id maximè vitat. Quam verò aliã ob causam putemus esse, cur multi quos virtutis decus, & ornamenta delectent, iacere tamen se in flagitiorum luto, atque cæno patiantur: & quam in alijs probant, ac summis laudibus efferunt, eam à se ab esse facilè permittant, nisi quòd vna vitæ commutandæ difficultate absterrentur. Vident enim ad virtutum satus accipiendos, vitia sibi esse extrahenda radicitus, neque tam præclara semina in animis nasci posse, & adolescere, ad fructumque perduci, nisi illorum non modò radices, verum etiam fibræ euellãtur ex

A simili. animis. Nam quemadmodum terra,

quam

quam ſpinæ, atque vepres occupâ-
runt, parere ac fundere plantas non
poteſt, quæ iucundiſsimos flores, ac
lætiſsimos ferant, niſi prius illa euel
lantur; ita profectò niſi vitia extir-
pes ex animo virtutum iucundiſsi-
mum fructum non ſenties. Vides iã
igitur, quantũ in ea re laboris, quan
tum difficultatis inſit: quanta vi, atq;
animi robore opus ſit ad tam dura
cum vitijs pro virtute ſuſtinẽda cer-
tamina, ad commutandos mores, ad
veterem conſuetudinem deponen-
dam, nouamque viuendi rationem
inſtituendam, quæ ſuperiori peni-
tus aduerſetur? Sed dem⁹, quod diffi
cillimum eſt, nulla eſſe in animo vi-
tia, quæ extirpari debeant: an parui
laboris putamus eſſe, nouas virtutes
in animo inſerere? inſitas colere, &
conſeruare? Ecquis, rogo, vnquam
hominum in otio turpi honeſtam vi Ab exem
tam traduxit? Quis præclaram no plo.

minis gloriam comparauit, qui se dicat fuisse laboris expertem? Quis maiorum suorum virtute, ac laudibus commendatus in langore, atque desidia gloriam ab eis sibi traditam retinere, atq; cōseruare potuit? Quicunq; enim inter homines maximè claruerūt, eos quidem video in duo ferè hominum genera diuidi posse: alterum eorū, qui litterarum studio dediti, ætatem suam omnē in eo posuerunt: alterum eorum, qui in armis versati suam vitam maximis belli periculis habuere semper expositam. Vtrum igitur hominum genus per languorem, atque otium peruenit ad gloriam? cùm alteri in inuestigan da, & explicanda natura rerum, atq; in præclara humanæ vitæ institutione ætatem suam assiduo labore contriuerint: alteri dum & vitam suam defenderent, atque salutem patriæ; & perniciem hostibus molirentur, non

non modò otiosi esse non possent, sed ne vllo quidem tempore tranquillum spiritum ducere. Iam illi viri sanctissimi, quos neque exquisita quædam ex Philosophorum scholis doctrina, neque bellicæ laudes, sed maximarum virtutū gloria clarissimos reddidit, quomodo tandem eam ipsam immortalem gloriā consecuti sunt? Nóne eos etiam in otio honestissimo tamen labores maximi exercuerūt? Quæ maior laus esse potest ea, quam de sanctissimo Iob omnis posteritas prędicabit? At eā ipse sibi maximorū laborū tolerantia cōparauit. Qui cū optimè nosset, quantùm in eis præsidium esset ad eximias virtutes consequendas, nō modò illam quasi tempestatem molestiarum, atque laborum deprecatus non est, sed in medijs fluctibus, atque in ipso bonorum omniū naufragio, pene etiā salutis ne vocē

quidem immoderati animi vllã emiſit. Cui viro innocentiſsimo, atque ſanctiſsimo, quàm multa vitia ad tantæ victoriæ laudem comparandam ſuperanda quidem fuerunt? non certè quibus ſe ipſe inquinaſſet tantæ innocentię, atque ſanctitatis vir; ſed quæ virtutibus ipſis aduerſaria grauiſsimum eidem bellum indixerant; & ſine quorum victoria in præſtantiſsimarum virtutũ poſſeſsionem venire non poterat. Non eſt, non eſt exigui negotij, non parui laboris virtutum laudem adipiſci, quam nemo eſt, qui non appetat: ſed magnæ difficultatis, atque moleſtiæ, quam plerique turpiter fugiũt. Itaque pręſtantẽ animũ, fortem, & excelſum res tãta deſiderat. Et quidẽ Diuinus ille Iacobus, cùm ad eandẽ virtutis gloriam homines hortaretur, ad quam ſapientiſsimus Plato ſua nos ſententia cohortatur, rei difficultatem

A teſtimonio.

ratem ante oculos ponit; neque ad virtutis laudem sine labore, sed ad laborem ipsius virtutis consequendæ causa hominum mentes excitat. Beatus, inquit, diuinus Apostolus, vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Quid est hoc? Quàm multa, Deus immortalis! quàm difficilia, quàm laboriosa tentationis nomine vir sanctissimus cõplexus est? sitim, famem, opprobria, contumelias, cruciatus corporis, atque animi, intestina, & externa bella, quæ cùm hominibus sępe, cùm inferis ipsis fu rijs sæpe geruntur. Ergo illum, qui hæc forti animo constantique pertulerit, beatũ appellat. Cur ita? quoniam accipiet, inquit, coronam vitæ; quæ nullo vnquam marcescet tẽpore, nullo æuo deflorescet, sed in omni semper æternitate virebit. Quæ cùm ita sint, qui sapientissimi Iaco. c.1. Epilogus

Philosophi sententiam, qua ad virtutum fructus etiam cum magno labore, sudoreque percipiendos inuitamur, magnopere laudandam, prædicandamque censemus, non nostro solùm iudicio, sed multis sanctißimorum virorum & testimonijs, & exemplis confirmatam, cauere quidem debemus, ne turpißimum nobis sit mentis voluntatisque dissidium; cùm aliud sentire, aliud velle, atq; efficere videamur. Ergo si quis in nobis virtutis amor est, qui ardentißimus esse profectò debet, persuadeamus nobis, tantò maiores difficultates, atque labores excipiendos nobis, ac perferendos esse, quantò magis in singulis virtutibus velimus excellere.

Confutationis tractandæ exemplum.

FAlsò opinantur, qui affirmant, alicuius boni causa licitum esse aliquando mentiri.

Argu-

Argumentum.

Vituperari possunt in exordio opinionis au-ctores, quòd prauos mores in Remp. inducãt.

Expositio opinionis sit; Licere tum quidẽ mentiri, cùm aut malum aliquod vitari, aut verò vtilitas ex mendacio consequi possit.

Obscurum esse dicemus in confutatione: quòd nemo sapiens reperiatur qui id affirmet.

Incredibile hominibus: quibus persuasissimum est, maximè oportere veritatem, fidẽque seruari: quã sublata hominum commercia humanæque societates in rebus contrahendis tollerentur.

Non possibile, quia nihil omnino licet, quod Deus oderit; odit autem Deus mendacium plurimùm.

Non cohæret cum ratione ipsa, cùm mendacio offendatur Deus, sperare te mentiendo obtinere ab eo quod velis.

Inutile valde est, quia si quid aliquando corpori vtilitatis afferat, animo tamen plurimùm nocet.

Epilo-

Epilogus id quod ex argumentatione efficitur, continebit. Licere nunquam mentiri.

Idem argumentum fusius tractatum.

Exordiũ. CVm omnes qui prauos in Remp. mores inducunt, ciuiumq; augent peccãdi licentiã, grauissimis sunt pœnis suplicijsque dignissimi; tum illi in primis, qui vitia ita suadẽt, vt in ipsa turpitudine honestatẽ esse confirment. Nam vt nemo tam improbus est, qui non aliquando, ipsa rei turpitudine proposita, maleficio submoueatur; ita nullus ferè tam probus, honestusque reperietur, quem non tam perniciosus error aliquando deprauet, si ita sibi persuadeat; id sibi interdũ licere, & si per se ipsum turpe quidem sit, quod intelligat, aut ad mala vitanda, aut augenda sua cõmoda iuuare aliquid posse. Quare falsam eorum opinionẽ infringi maximè oportet, & explodi, ipsosque

eius

eius auctores propositis etiam pœnis coerceri, qui ita temere iactant, homini interdum alicuius boni, ac vtilitatis spe licitum esse mentiri. Quasi verò vt boni aliquid accidat, aliquid turpe perpetrare liceat. Nos verò quibus rationibus se contra veritatem muniant stultissimi homines, detestandumque mendacium commendent, videamus: vt vel ex ipsis satis appareat, illorum scholę, atque doctrinæ nō grauissimorum hominum sapiētiam, sed mali Dæmonis calliditatem esse magistram. Valde, inquiunt, oportet, hominum incolumitati consulere; id quod nobis à Deo Opt. Max. commendatum est: cur igitur, cùm ita casus ferat, vt leui quodam mendacio hominem aliquem magna calamitate, aut mortis etiam periculo liberare posis, non facies? Ita præterea colligunt pręclari morum magistri. Ab expositione.

Si quis vir honestus, ac probus cùm res suas præclarè gestas, virtutesque egregias manifestarit, arrogantiæ, atque superbiæ periculũ timeat, præstantius illi erit, eadem ratione, si aliter non posit, virtutum ornamenta contegere, quàm in tantum discrimen, atque eadem ipsa amittendi periculum deuenire. Quod qui sentiũt non illi quidem ex purissimis sacrarum litterarũ fontibus eiusmodi doctrinam hausisse, sed ab ipso mendaciorum, turpitudinumque omnium auctore, atque parente vidẽtur accepisse. Primum enim quæro, qui ista tam turpiter dicũt, cuius auctoritate ducantur? cuius nitantur sententia, atque iudicio, vt tam pestiferam in Remp. opinionem inducant? Necesse enim est, vbi non iam de fortunis, sed de animi bonis, atque ornamentis agitur, non nos imperitorũ temeritate, sed grauissimorum hominum

Ab obscuro.

minum sapientia, iudicioque moueri. At qui nemo profectò eorum, qui probè de religione sentiunt, mẽdacio aliquovti, non esse turpissimũ iudicat. Ergo quod in re familiari seruanda tam diligenter facimus, vt eos cõsulamus, qui sanum, ac fidele consilium dare possunt, idem in tuendis animi ornamẽtis negligemus? Quæ quantò nobis potiora fortunis omnibus esse debeant, quis vel amentissimus dubitat? Sapientium igitur hominum auctoritate detracta, quibus se suam opinionem amentes homines, vel ineptias potiùs persuadere posse confidunt? Etenim sic vniuersis hominibus persuasum est, nihil magis esse necessarium ad communem vitam, atque ad humanam societatem conseruandam, quàm vt in omnibus rebus integrà fides, inuiolataque seruetur, sine qua nullum planè inter homines potest esse commer

Ab incredibili.

commercium. Quis igitur credet, qui ſana mente ſit, id non ſolùm licere, ſed oportere etiã interdũ, quod fidem ipſam de vita hominum tollit? Et quidem reliqua vitia & ſi propter turpitudinem ſunt honeſtis hominibus odioſa, tamẽ nullum ſcelus, nullum tantum flagitiũ eſſe puto, quod pari animorum conſenſu plus oderint vniuerſi homines, quàm fœdũ, turpeque mẽdacium. Nam fures, atque raptores oderunt quidem illi, ad quos aliquod damnum, incommodumque peruenit: ſceleratos, ac flagitioſos homines illi cauent, ac vitant, qui quoniam honeſti ipſi ſunt, perditis eorum moribus lædi, & corrumpi nolunt: in quo verò fides nõ eſt, hunc honeſti viri animo, atque oculis fugiunt; hunc ipſi improbi homines aſpernantur; hunc vniuerſi ex hominum numero tollendum putãt; vt qui ſocietati communi hominum,

quæ fide maximè continetur, noce re maximè videatur. Quibus igitur tam scelerata opinio probari potest, nisi ijs, qui cùm ipsi ex dolis sint mē dacijsque cōflati, eam sibi licentiam dari lætentur, qua tamen alios abuti minimè velint. Audient ergo huiusmodi homines qui fidem aut negligunt, aut vænalem habent, quibus verò eadem fides cordi est, veritasq; non audient. Quòd si multi essent, atque magna auctoritate homines, qui, quod isti docent, confirmarent, tamen qui rem attentiùs considerarit, id ita esse non posse, contra omnium iudicium, auctoritatemque cō tendet. Res enim, quis non fateatur, non hominum iudicio, quod sæpissimè fallitur, sed diuina voluntate, diuinisque præceptis esse pendendas? Nam si quid erit, quod vniuersis hominibus placeat, non illud statim laudabile est, si quidem diuinæ repug-

net voluntati. Quid igitur isti tā præclaræ opinionis auctores? Nōne vident nihil ab surdius aut dici, aut excogitari posse, quàm quod ipsi temerè, atq; impudenter effutiunt. Cū enim mendacium Deo Opt. Max. non displicere docent, (hoc enim concedant, necesse est, vt res honesta videatur,) illud quidem nō obscurè docent, summæ illi bonitati flagitium aliquod placere posse: simplicē illam, diuinamque naturam, à dolis, ac fraudibus non abhorrere: veritatem ipsam turpi aliquando delectari posse mendacio! O cæcitas mentis incredibilis! O intolerabilis dementia. Quid? Deus veritatis auctor mēdacium amabit? Flagitiosum aliquid Deo Opt. Max. esse poterit non inuisum? Fraudulentum aliquid gratum erit ei, qui simplicibus animis delectatur; versutos, ac fallaces plurimùm oderit? Cæcus planè est, qui hæc

hæc non videt; omnino ſine mente, qui non intelligit: flagitioſus, ac ſceleratus, qui tam perſpicuis rebus tenebras offundat, ipſeque vltro offendat, & incurrat. Iam illud quàm verum, atque perſpicuum eſt. Felices rerũ euentus à diuina potiùs prouidentia, quàm ab humana vel prudentia, vel conſilio & petendos, & expectandos eſſe. Quî igitur conuenit, eodem tempore & Deũ ipſum offendere, & eius opem implorare, & ſpem id ipſum obtinendi concipere? Ergo qui aliorum ità vel bonis, vel ſaluti conſulunt, vt in eam rem orationis vanitatem adhibeant, ij primùm maiorem in ſe, ſuaque induſtria, vel fraudibus potiùs ſpem, quam in diuino conſilio, ſapientia, ac bonitate collocant: quod eſt quidem ſummæ dementiæ: deinde diuinam in ſe iram prouocant, ne ipſorum optatis faueat, dum

A non cohærente.

humana commoda diuinis honoribus anteponant, quod extremæ impudentiæ, atque impietatis est. Magni, inquis, vel nostra, vel aliorum salus æstimanda est. Magni prorsus, ac pro ea conseruanda omnis cura adhibenda, omnes difficultates, ac labores suscipiēdi sunt: sed optimus quisque ea mente, atque animo esse debet, vt vniuersorum hominum & corporis, & animi salutē deserere, quàm diuinam bonitatem vel minima quidem in re malit offendere. Nam illud valde sanè ridiculum est, dicere, sanctissimis viris, vt ostentationis, atque arrogantiæ periculum fugiant, ad mendacium, tanquam ad portum licere confugere. Quasi verò sine scelere atque flagitio retineri virtus, conseruarique non possit. Ne illud quidem attendunt præclari honestatis custodes, dum honestos viros à periculo, quod aut nullum,

aut minimũ est, arcere volũt, eosdẽ à se in alterum multò grauius, ꝙ vitari vix possit, impelli? Etenim quis erit tam probus, tantaque virtutis laude conspicuus, qui vel in leuissimo mendacio deprehensus nõ magnam hominibus ansam præbeat existimandi, vitã eius totam non verum actum, sed quandam quasi confictã esse fabulam? Et quidem si istorum hominum vera esset sententia, quo quis virtutibus, & rectè factis magis excelleret, eò frequentiùs vtendum illi esset, hoc tam turpi mẽtiendi perfugio. Mendax igitur diuinus ille Franciscus, mendax Hieronymus, mendax Augustinus, mendaces denique omnes illi viri sanctissimi, qui se ipsos demittere, atque deprimere semper studuerunt, diligentissimeque curarunt: atque vna hac macula tot præclarissimas virtutes, quibus illi maximè claruerũt, fœdari, obscu-

rarique passi sunt. Quàm longè aliter, Deus immortalis! illi se contra mali Dæmonis tela munierunt: quã diuersa ratione illi à se longissimè depulerunt: quàm alio pugnandi genere eum ipsum infestissimum hostem superarunt. Putabant enim, honestum virum multò magis decere quæ in se animi bona, atque virtutes agnosceret, ea vel quasi in alio posita contemplari, vel cũ sua certè considerarit, eadem vni Deo bonorum omnium auctori accepta referre, quã dum ea in se non esse fingat, ac simulet, animo suo turpem mendacij labem aspergere, eundemq; maculare. Quæ ratio satis esse deberet, vt isti veritatis aduersarij errorem suũ, ac temeritatem agnoscerent. Neque enim cõsiderare solùm debent, quid vtilitatis mentiendi licentia afferre possit, (si vtilitas censenda est, quæ non sit cum honestate coniuncta) sed

ſed quantum damni atque incommodi afferat. Demus enim euenire aliquando, vt aliqua mendacium vtilitas conſequatur, vt fortunarũ iactura vitetur, vt vitæ periculum propellatur; adeone quæ fugacia bona, atque caduca ſunt, diliges; vt ea ſempiternis animi bonis anteponenda putes? vt corporis commodis ſeruias vel aliorum, vel tuis, iiſdem animum tuum grauiter lædi patieris? Si vt animi ſaluti conſulas, corpus ipſum omnibus debes periculis obijcere; cuius tandem conſilij, cuius mentis eſt, vt corpus, vt fortunas, vt res interdum leuiſsimas tueare tuũ animũ in diſcrimen afferre? Animaduertant igitur, Epilogus. quid doceant, qui mēdacij turpitudinem ſpecie quadā honeſtatis contegunt: neque eiuſmodi mores inducant, quibus quaſi laqueis iidem ipſi

honestissimi homines capiantur: satis magna hominum audacia est libertasque peccandi, quam illi tã perniciosa doctrina ne augeant, cauere debent. Quòd si hęc, quæ diximus, ita sunt; si tanta in mendacio inest turpitudo; si illud ipsi veritatis auctori tantopere displicet; si communi bono, si humanæ societati plurimùm aduersatur; si nihil illo est vniuersis mortalibus magis odiosum, si animis ipsis perniciem, ac pestem affert, nemo sit tã auersus à verò, qui aures suas istorum hominum impudentissimis vocibus patefaciat; ne tã quam Syrenum cantu deceptus intereat. Licet quidem interdum veritatem, si ita expediat, prudenti cautione occultare, vbi verum fateri nulla res cogit, mendacio verò vti, ne si vniuersorum quidem hominum salus agatur, certè non licet. Quo qui animo, ac mente sit, sentiet profectò

ſæpe, vt ſua in vno Deo collocata ſpes ex maximis difficultatibus animum expediat, atque ab omni periculo liberet.

Confirmationis tractandæ exemplum.

Verè affirmauit Zeno Philoſophus; Virtuti nihil planè deeſſe.

Argumentum.

Laus ex eo duci poteſt, quòd virtutem Zeno tanti fecerit, cùm eius dignitatem non ſatis cognouiſſet.

Expoſitio ſit, illud Zenonem affirmare: Ad ſummam vitæ felicitatem in vna virtute, ſi deſint reliqua, ſatis eſſe præſidij.

Manifeſtum autem eſt, virtutis amatori nihil deeſſe, cùm nihil ipſe appetat, neque dicantur deeſſe ea, quæ non deſiderantur.

Credibile verò, cùm Deum ipſe poſſideat in quo ſumma ſunt omnia.

Poſſibile quidem, cùm Deus, cui ſe ille credidit in ſumma rerum humanarũ inopia eius tamen animum ſumma explere voluptate

posit, quæ omnes cupiditates respuat.

Congruit certè, vt quemadmodum iis qui externa bona sitiūt, satisfacere nihil potest, ita virtutis cultoribus vna satis sit virtus.

Decet verò eum, quem virtus ornauit, cætera ornamenta pro nihilo putare.

Vtile autem est, sic de virtute existimare, vt plures eius dignitas ad se alliciat, quā qui sit assecutus, non possessiones, non regnā desideret.

Epilogus argumenta complectetur, & quandam virtutis commendationem.

Idem argumentum amplificatum.

QVanta virtutis dignitas sit, quātaq; præstantia, vel ex eo perspici potest, quòd non modò qui eā cōsecuti sunt, fructusque ex ea vberrimos perceperunt, sed illi quoque, qui speciem quandam, atque adumbratam solùm ipsius imaginis pulchritudinem videre potuerunt, non solùm amandam, & colendam, sed eam vnam sequendam, amplectendam-

dámque putarint. Ex quorum numero Zeno ille Stoicorum princeps maximè excelluit, qui cùm virtus ipsa qualis esset propter cæcam errorum caliginem, qua miseris illis temporibus circunfusa veritas minùs apparebat, non tam perspicere, quàm ex ipsius virtutis in tantis tenebris splendore conijcere potuit, tamen doctrinæ suæ sectatores tantam eius bonitatem docebat esse, vt non illam præ cæteris rebus, sed vnam, ac solam reliquis omnibus neglectis, ac relictis eisdem commendaret. Tantum enim præsidij in vna virtute ad bene, beatéque viuendum constituebat, vt ei nihil omnino deesse diceret, ipsámque sibi satis esse ad summam vitæ felicitatem. Quare si quis in rerum omniũ abundantia viueret, si honores assecutus esset amplissimos, si maiorum nobilitate, & gloria commendatus, Expositio.

turpis

turpis tamen ipse vita, atque moribus vera virtutis laude careret; eum sapientissimus Philosophus non felicem, ac beatum, sed miserrimum potius, atque ab omnibus despiciendũ, contemnendũque censebat. Qui verò se virtutis pręsidio muniuisset, eũ verè beatum, atque felicem prædicabat; vt cui nihil omnino deesse posset. Quod si cui mirum fortasse videatur, cui virtutis dignitas, atque vis satis cognita, perfectaque nõ sit; quique multos viderit sanctissimos viros in summa rerum inopia, mendicitateque versari; si, quantum virtus ipsa posit, attenderit, verisimũ esse comperiet. Etenim quis ignorat, quàm paucis sit natura ipsa contenta? Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientium scholæ, plena gymnasia huiusmodi vocibus: homines plerũque suis cupiditatibus potiùs, quàm naturæ necessitati seruire; atque illas nullis

A manifesto.

nullis quidem fortunis, nullis opib⁹, nullis facultatibus expleri posse; quę quò plura assecutæ sunt, eò maiora immodicè sitiunt: hanc verò ea solũ sibi satis putare, quibus sustentari posit, reliqua neque velle, neqne requirere. Ergo qui sustulerit cupiditates ex animo, tenui victu, moderato cultu, parcissimis contẽtus sũm ptibus, non illum cæterarum rerum desiderium solicitabit, & cura. Atqui hoc vna profectò virtus præstare potest: quæ ardentes cupiditates extinguit, prauos animi motus cõtinet, totã denique hominis vitam ratione moderatur. Quid igitur mirum si nihil illi desit, qui nihil planè desiderat; cùm quæ ad humanam vitam sustentandam necessaria sunt, ea honesto viro deesse non possint. Quod suo diuinus vates testimonio confirmat; cùm, Nunquam vidi, inquit, iustum derelictum nec semen

eius

eius quærens panem. Iam illud cuiuſmodi eſt, vt hanc ſententiam quiuis veriſsimam eſſe credere debeat? Virtutis quidem tantam eſſe vim, vt hominis animum cum ſummo Deo ita coniungat, Deum vt ipſum ab eo dicamus, & verè dicamus poſsideri, in quo vera virtus ſit, atque perfecta. Is igitur in rerum humanarum deſiderio viuet, cui Deus ipſe bonorum omniũ auctor, atque origo poſſeſsio eſt? Is falſæ gloriæ laudem inter homines aucupabitur, qui omnẽ ſuam laudem & gloriam in diuina laude quęrẽda collocauit? Honores atque dignitates appetit is, qui ſummos ſibi honores in ſui ipſius deſpicientia, & contemptione conſtituit? Hominũ in ſe ſtudiã concitare, volũtates ſibi conciliare curabit is, qui ab ipſo præpotenti Deo diligi ſe, atque amari ſentiat? Sũt quidem, ſunt eiuſmodi cæleſtia illa bona, quæ Deus

A credibili.

Opt. Max. viris optimis cõmunicare solet, atq; humanum animum ita ex plent, nihil vt nisi cæleste, atque diuinũ non modò expetere, sed ne co gitare quidẽ velit: sordentq; ea, ac vilissima putantur, quæ tempore intereunt, cùm spe cœlestium bonorum quæ nullũ tẽporis spatiũ circunscribit, quæ æternitas ipsa metitur, humanus ipse animus alitur. Sed audire mihi iã videor quosdã nimiũ amantes sui, qui ita dicant, difficillimum quidem esse, vt quispiam in hac vita ea mente, atque animo sit, vt respuat omnes voluptates, vt in mendicitate, atque in omnium rerum indigentia, iucundè tamẽ, & tranquille viuat. Qui si ab humanæ imbecillitatis cogitatione animum parũper auertant, & quid diuina vis in eadẽ imbecillitate posſit efficere, considerare velint, longè profectò aliter iudicabunt. Quid? qui vniuersas ani

A posſibili.

mantes

mantes rationis expertes sine vlla illarum industria pascit, atq; sustentat: qui diuinas illas mentes cælestibus, ac sempiternis replet voluptatibus, humanos animos corporibus etiam inclusos, qui eius se totos obsequio consecrarũt, non cælestibus quoque donis explebit? Non ipsa corpora quæ omni sensuum suauitate sua se sponte priuarunt, non modò ab immodicis cupiditatibus, sed ab ipsius etiam naturæ necessitate vindicabit? Sed quid rationibus opus est, vbi tot præclarissimis sanctissimorum virorum exemplis abũdam? Quæ enim vnquam humanarum rerum cura admirabilem illum Paulum solicitauit, postquam in illã se remotissimam solitudinem abdidit? Quod vnquam copiosioris fortunæ desiderium Antonij animum inter saxa, ferasque degentis à cælestium rerum contemplatione reuocauit?

cauit? Quid Macharius? Quid Paphuntius? Quid Hilarius? Quid cæteri clarissimi viri, qui non modò omnibus fortunis libẽter caruerunt, sed etiam vnius virtutis studio, atque amore capti vltro se illis abdicarunt; vix ea sibi comparantes, quibus naturæ satisfieri, vitaque ipsa sustentari posset; nonne satis nobis ostendunt, quod voluptatis amatoribus difficillimum videtur, id honestatis, virtutisque cultores facillimum, ac iucundissimum ducere? Est quidem hoc proprium, ac singulare virtutis præmium, eiusque dignitate dignissimum; vt quemadmodũ miseri homines, qui omnes suas curas, & cogitationes tanquam pecudes ad pastum, ad hæc quę fluxa sunt fugacia, atque caduca penitus abiecerũt, etiã si circunfluant bonis omnibus, sibi tamen multa deesse lugent; & quò plures fortunas compararũt, eò magis A cohærente.

gis eorum animos immodicę cupiditatis ignis incendit; ſic qui ea omnia contemnenda duxerunt, & vitę felicitatem in vna virtute poſuerũt, eximio ſuo bono contẽti, nihil amplius deſiderent, nullius præterea rei cupiditate teneantur, nihil omnino ſibi deeſſe putẽt; atque vt illis facultates ipſæ, atque copiæ ad voluptatem comparatæ miſeram vitam afferunt, & acerbam, ſic his eiſdem carere gratiſsimum, ac iucundiſsimũ ſit.

A decẽti. Quare mirari iam deſinant, qui nullum veræ virtutis guſtum habent, ſi eos videant humana omnia deſpicere, atq; contenere, qui illius pulchritudinem videre, illius dignitatem cognoſcere, illius ſuauitatem ſentire potuerunt. Neque enim deceret, qui cæleſti quadam etiam in terris voluptate perfruatur, eum quicquam humanæ, ac falſæ voluptatis appetere: qui pulcherrimis ſe præſtan-

præſtantiſsimæ virtutis ornamentis decoratum videat, eum inania quædam ab hominibus ornamenta requirere: qui ſe Deo penitus dederit, eum quicquam ab alio, quã ab ipſo Deo aut petere, aut expectare. Iam verò ſi hoc ita non eſſet: ſi virtus ſatis in ſe præſidij non haberet, vt felicem hominem atque beatum efficeret, ſi quid eſſet, ſine quo virtus hominibus ad vitæ iucunditatem ſatis eſſe non poſſet, num putamus, multos eius amatores, atque cultores futuros fuiſſe? nũ exiſtimamus, humanus animus infinitũ ſemper aliquid, immenſumq; deſiderans in vna virtute quieſcere aliquãdo potuiſſet? Quare cũ vera ſint omnia, quæ de illius dignitate diximus: ita quidẽ eadẽ ſentire, ac prædicare hanc in primis hominibus vtilitatem affert, quòd tam eximia virtutis laude & ad ipſius amorẽ incen- Ab vtili.

duntur, & ad tanta bona perfruenda concitantur. Qui enim diuitias qui laudem, qui regna, qui imperia denique concupiscit, hæc omnia videt vna virtutis possessione contineri. Nemo enim ditior illo est, qui sua sorte contentus nullis in summa paupertate rebus indigere se putat: nemo laude illustrior, & gloria quàm qui ipsis est diuinis laudibus commendatus: nemo tam est animo regio, quã qui se ipsum regere, & animi cupiditates moderari potest: nemo veriùs imperator dicendus est, quã qui sibi, libidiniq; suæ imperat, atque omnes animi motus facilè cohibet. Quid igitur deesse potest ei,

Epilogus. qui neque diuitias, opesue requirat: neq; laudem amet, aut gloriam? neque regna imperiaue desideret? neq; hæc omnia cum bonis, quibus ipse perfruitur conferenda putet? Quàm ergo præclara virtus est, quamque

diui-

diuina? quam prorsus hominibus ex petenda,, quæ tot bona secum afferat, quæ ipsum bonorum omnium auctorem homini conciliet, atq; efficiat, vt in hac etiam misera conditione vitæ cælesti quodammodo felicitate perfruatur.

Loci communis tractandi exemplum.

De Charitatis præstantia.

Argumentum.

PRimus locus. *Mgnæ Deo Opti. Max. charitas curæ semper fuit, quando eam tātopere hominibus cōmendauit. Christus enim extremo vitæ tempore hoc suum præceptum esse dixit, vt nos mutuò diligeremus.*

Hæc virtus ad omnes pertinet, cùm potentiores tenuioribus fauere, hi verò illos sua opera iuuare possint

Si omnes hac virtute præditi essent, qualis esset Reip. status, quàm felix. Non iacerent egeni, non inimicitiæ, non odia essent hu

maiorum denique animorum consensio feli-citatem illam beatorum imitaretur.

Est planè excellens, atque diuina virtus, quæ tanta bona secum afferat: cuius dignitas vel ex eo perspicitur, quòd Deus ipse charitas appellatur.

Et quidem cæteris virtutibus sic excellit, vt sine hac illæ nullæ planè sint, hac cæteræ retineantur.

Hac qui præditus est diuino quodammodo munere fungitur. Quando vt Deus ipse nostri charitate incensus saluti nostræ consulit, sic qui eadem ardet charitate diuinâ, quâ ratione potest, iuuandis hominibus beneficentiam imitatur.

Idem argumentum amplificatum.

1. locus. QVæ parentes in extremo spiritu suis liberis diligenter commendare solent, ea, magno quidem argumento est, eisdem in vita fuisse charissima; existimareq; illos, eadẽ ad se post mortem pertinere, quorũ à se

à se memoriam cum ipso spiritu dimitti nolint. Quantæ igitur curæ admirabilem illam virtutẽ, quæ homines hominibus magnopere conciliat, eosq; arctissimo quodam amoris vinculo astringit, Christo parenti nostro fuisse putabimus, quãdo decessurus è vita, sic illã nobis cõmendauit, vt suũ hoc præceptum esse dixerit, nos vt in vicem diligeremus? Neque verò tũ primùm suauissimus parens hanc suam paternã voluntatem significauit, mutuũq; amorẽ hominibus, beneuolentiamque præcepit; sed multis ante sæculis eãdẽ charitatis legem eisdem imposuit, atque in eorum animis, mentibusq; inscripsit. Vnicuiq; enim ab ipso mũdi primordio mãdauit Deus de proximo suo. Quòd si tum cęterorum animalium, tum ipsius hominis nascendi conditionem consideremus, facilè quiuis intelliget, non modò ipsius 1.locus.

legislatorem Deum eam hominibus præcipere, sed eos ad ipsam diligentissimè seruandam cogere quodammodo voluisse. At quomodo id tandem? Videmus quidem cætera animalia nulla neque sua, neque parentum industria, sed à natura ipsa contra vim temporum vel ardoris, vel frigoris satis tecta, atque munita: partim etiam contra aduersariorum impetum, quos eadem illis natura dedit, armata. Quid verò homo diuinũ animal, ac princeps reliquorum? quã longè alia conditione prodit in lucem? Nam primùm quidem nascitur nudus, multis deinde difficultatibus affectus, egẽtissimus rerum omniũ, omnibus denique incommodis expositus, atque periculis. Quid ita? vt ea scilicet ratione in tãtis vniuersorũ hominũ angustijs alios alijs fauere atque opem ferre, quod charitatis est proprium, vel ipsa necessitas cogeret,

geret; si minus suaderet humanitas. Quare non tenues solùm, atque infimæ conditionis homines, ita nasci voluit præpotens ille Deus, sed qui opulentissimi, qui principes in Repub. viri, qui Reges, qui Imperatores futuri essent, vt priùs hi à tenuioribus accipere, quã illis dare beneficium didicissent. In ipsa verò humanæ vitæ societate tuenda idem ipse sapientissimus Deus res ita prouidit, atq; constituit, vt aut lex illa mutuæ charitatis perpetuò seruanda esset, aut ipsa communis hominum societas dirimenda. Sic enim sua homĩnibus bona impertit⁹ est, vt alij aliorum vel fortunis, vel opera, vel con silio, vel industria ita indigerent, vt si se mutuò iuuare nollent, ipsum hominum genus conseruari non posset. Fortunis quidem alios, atq; opibus cumulauit: sed quid his suæ facul tates, opesq; prodessent, nisi ad eas

tuendas, & conseruādas tenuiorum opera iuuarentur? Alios in excelso dignitatis, atque honoris gradu collocauit; sed hic tamē firmus esse qui posset, nisi populi gratia, beneuolentia, & charitate niteretur? Regna alijs, atq; imperia quasi in sinū detulit, vel certè eadem comparandi vi, atque armis facultatem dedit; sed hæc tamen quàm diuturna essent, si Resp. ipsa, quæ tanta varietate hominum cōtinetur, sui vel regis, vel Imperatoris recusaret imperiū? Vt verè quidem dicere possimus, nō minus plebem, atque infimos homines potentiorib⁹, atque ipsis regibus opes dare, & imperia, quàm ab his illos, quibus viuant, atque alantur accipere. Quare eò profectò maior charitatis dignitas est, quò ad plures ei⁹ fructus, atque vtilitas pertinet. Qua diuina virtute si vniuersi homines præditi essent, ô nos beati! o felices, fortuna-

3. locus.

tunatę que Respublicæ! Quę tũ formæ? quę species? quę dignitas singularum vrbium, & oppidorum? Finge tibi optandum illum Reip. statum, in quo vniuersi ciues vno sint animo, & voluntate, vt alij non minus aliorum, quàm sua causa laborent: aliorum incommoda, labores, atque ęrumnas, suas ęrumnas, incommoda, atque labores putent: aliorũ prosperis rebus non minus lętetur, quã suis. Quid excogitari felicius, aut beatius posset? Quid quod magis summam illam diuinarum mentium felicitatem referret? illam cõsensionem animorum, illã cõspirationem beatorum ciuium vnacharitate conflatam? Nemo iam liuore, atque inuidia in aliorum voluptate doleret: nemo intestino quodam odio alterius saluti machinaretur insidias: nõ inimicitię, non tumultus, non seditiones ciuitates perturbarent: non

ego-

egestas, atque rerũ indigentia ærumnosos homines in latrocinia cõpelleret: in summa pace vniuersi, in iucundissimo otio, trãquillitate, ac securitate viuerent. Mira profectò charitatis vis: quæ vna tam multa, quæ hominum improbitate dilapsa fluxerunt, suauissimo amoris vinculo vincire posset, odia restinguere, inimicitias tollere, perturbationes sedare, omnia suis locis æquissimo iure cõstituere. Quid dicam amplius? aut quæ omnino tantæ virtutis laudibus
4. locus. oratio par inueniri potest? Cuius dignitas tanta est, vt nihil non modò in terris, sed ne in cælis quidem reperiri possit melius, atque præstantius. Quæ enim tantam hominibus etiam in hac misera vita felicitatem posset afferre, eadem ipsa est, quę superos illos animos, ac cælestes mentes beatas efficit. Hinc enim illa nascitur cęlestium ciuium tã mira consensio.

ſenſio. Hinc ille ardentiſsimus amor exiſtit, quo ſe illi mutuò perpetuò diligunt, & complectuntur, atque alij aliorum bonis ita perfruuntur vt ſuis. Hæc eadem illos cum ipſo Deo ita coniugit, & copulat, vt ipſi quaſi extra ſe poſiti Deum ipſum vno om nes animo, ac volentate intuentes, ipſiuſque admirabilem pulchritudinem, infinitam potentiam, ſapientiā, bonitatem contemplantes in eo penitus hæreant, in eiuſque vultu & amore ſuauiſsimo ſempiternis expleti voluptatib⁹ conquieſcāt: eiuſdem verò ita quaſi facibus inflammātur; vt quemadmodū ferrum in ignē, ſic ipſi in Deum conuerſi quodammodo videantur. Sed quid mirum qui diuina charitate flagrent, eos diuinos eſſe: cùm Deus ipſe charitas ſit. Quare meritò hæc quidem appellatur reliquarum princeps, atque regina virtutum: quæ tantum præſtat cæteris 1. Ioan. 4. 5. locus.

cęteris dignitate, vt sine hac illę suũ splendorem, atque vitam amittant. Considera virtutes singulas, earũq; excellentiam, atque pręstãtiam, charitaté, si ex earum numero ademeris, mortuę planè sunt. Si labores multos pertuleris, difficultatesq; superaris, charitate tamẽ careas, virtus
1.Cor. 13. nulla est. Si te in acerbissimos crucia tus dederis, corpusque tuũ cũ diuino Apostolo igni, flammisque tradideris, nullus tamen insit in animo charitatis ardor, virtus nulla est. O admirabilis, atque diuina virtus, quę quidem efficis, vt quemadmodum humanum corpus viget, ac sentit, dum inclusus in eo animus est, sic cæterę virtutes, vbi adsis, suam vitam, dignitatemque retineant? Quid est igitur excellentius charitate? quid homine dignius? quę hominem Deo ipsi, Deo, inquam, dignum, & quo-
6. locus. dammodo diuinũ reddit. Quid enim

verius

verius dici potest, si charitatis mune ra velimus attendere, quàm eum, cu ius animus incensa quadam charitate flagret, diuinam ipsam in bene de hominibus merendo bonitatem imi tari, atque ad illam eius eximiam liberalitatem, ac munificentiã proximè accedere? Perlustra, quęso te, mente atque animo vniuersum orbem, cælos ipsos, ac terras circunspice, quęque tam spatioso ambitu continentur: diuinã deinde in res vniuersas prouidentiam contemplare; tum summi parentis Dei tantam clementiam, benignitatem, beneficentiamque mirabere, qui primùm hanc tam admirabilem eiusdem orbis fabricam, tantã pulchritudine ornatam, tanta varietate distinctam, tam miro opere, artificioque constructã hominis causa tueatur, atque conseruet: qui tot prętera animantium genera partim in

in ipsa immensitate aeris, partim in latissimis aquarum spatijs, partim in tam multis, tamque disiunctis terrarum regionibus ad ipsius quoque hominis vsus, & vtilitates alat, atque sistetet: homines verò ipsos alios alijs naturę dotibus, alia alios ingenij facultate donarit; quò illi vtiliùs, atq; commodiùs ad communem vitam, societatemque tuendam mutua inter se opera vti possent. Hanc ergo paternam prouidentiam vt in homines adhiberet præpotens ille Deus, quid aliud eum ipsum, nisi eiusdē in illos sempiterna charitas mouit? Nōne igitur diuino munere fungitur, diuinasque partes suscepit is, qui eadē incensus charitate hominum vel saluti, vel incolumitati quacunque ratione potest inseruit? qui aliorū acerbissimos casus consolatur? aliorum egestatem subleuat, & inopiam? alijs in periculo, aut discrimine aliquo

versantibus opem, & auxilium præbet? alios prudentia iuuat, atque cõsilio? alios, quod maximum, atq; potissimum est, à vitiorum turpitudine auocat, ad meliorẽ vitam, honestioremque traducit? Quàm igitur felix ille est, ac planè beat⁹, qui hac se virtute munierit, quæ hominũ illi conciliat voluntates, eum ipsi Deo charissimum reddit, beatarum mentium felicitatis participẽ facit, in ipsam diuini muneris societatem admittit.

Laudis tractandæ exemplum.

Diui Ludouici Regis Galliæ laus.

Argumentum.

Exordium sumi potest à diei celebritate, ab auditorum studio Ludouici laudes audiendi, ab ipsius virtutum, ac laudum magnitudine.

Ad laudem conficiendam per omnes ætatis gradus percurret oratio. In pueritia laudabitur educatio, quòd eum ipso parentis la-

P ctę vir-

ste virtutem hauserit. In adolescētia bonarum artium studia. In matura, & perfecta ętate regię virtutes, prudentia, consilium, facilitas, religio, charitas, summissio animi, integritas, & eiusmodi alię.

Conferri potest cum alijs regibus qui nomine quidē reges, re tamen vera suarum erant serui libidinum, qualis Xerxes, Alexander.

Post mortem, quanto in honore sit apud omnes, dici potest, vt qui in beatorum numerum relatus sit.

Epilogus breuem virtutum enumerationem, & ad eum imitandum exhortationem continebit.

Idem argumentum amplificatum.

QVantum opportunitas temporis, Auditores optimi, vestraq; omnium voluntas, & in sanctissimū Ludouicum pietas singularis meum animū excitat, vt hodierno die, hoc loco, atq; his auditoribus, aliquid de eiusdem laudibus dicam; tantū profectò rei difficultas eundem retardat,

ac reprimit; cùm neque officio meo, neque vestris studijs, neque tantis eius laudibus satisfacere me posse confidam. Sed cùm hoc pietatis, ac religionis officium diuino Ludouico eo die, qui sacer illi est, deberi non possit; faciā promptissimo animo, & voluntate quod sine magno timore aggredi, sine præsenti eiusdem viri sanctissimi auxilio præstare nō possum. Et verè iam rem attentiùs consideranti hunc mihi timorem ista vestra pietas, ac religio magna ex parte minuit, ac tollit, cùm parem studijs vestris, si nō orationem, voluntatem tamen afferamus: quæ cùm tantum se posse cupiat, quantum & vos in patronum vestrum conferendum putatis, & ipsi iure debetur; cumque quantuncunque illud sit, quod certè maximum est, nullius hominis oratio consequi valeat; reprehendēda profectò nō est,

ſi id conari audeat, quod quia â nemine tractari dignè poteſt, ab omnibus iccirco hac tanta diei celebritate prætermitti certè nõ debet, ac negligi. Quare illud à vobis peto, Auditores, vt mihi detis hanc veniam, vt ſi prouecta fortaſſe, & tanquam nauis in medio mari noſtra fluctuet, ac periclitetur oratio, quicunque ſe nobis portus oſtéderit, eum teneamus potius quã obrui nos vt fluctuum, ſic magnitudine rerum ſinamus: ſi verô ſedato mari, tranquilloque feratur, eam obſecro vos, attentione, humanitate, facilitateque veſtra tãquã auræ leniſsimæ flatu propellatis. Sed iam diuinum virum inſpiciamus, ſi placet, à puero, & quibus quaſi gradibus ad ſummum virtutis faſtigium aſcenderit videamus. Atque hoc primum quod de illius infantia dicam, eius quidem felicitati adſcribendum eſt, ac diuinæ bonitati referendum,

Ab educatione.

quæ

quæ illum ad res summas, maximarũ que virtutum laudem ex omni æter nitate delegerat, sic eum ab ipsis incunabulis educatum fuisse, vt in matris gremio suauissimum iam virtutis nomen eius auribus peasonaret: eademque parens prçclarissima, atque sanctissima fœmina cùm illum inter materna vbera complexum lacte nutriret, virtutẽ simul hauriret ex animo, quã eius menti, atq; intimis animi sensibus instilaret. Quo diuino pabulo sic illius alebatur animus, vt mirum sit, quantum in ipsa prima ætate virtute profecerit. Quid verò cùm excessit è pueris? Quomodo vitæ suæ rationẽ Ludouicus instituit? Animaduertit optimus adolescens, naturam quidem doctrina, & litteris excultam, atque pefectam ad virtutem valere plurimùm, eam etiam præclaram sine doctrinæ cultu corrumpi facilè posse. Quare cùm id esset æta-

Ab optimis studijs

tis, quæ multis naturæ blandimentis delinita voluptati plerunque conniuere, ac indulgere consueuit, non illam in otio langoreq; traduxit, sed in ijs disciplinis, atque artibus collocauit, quibus adolescentes ad humanitatem informari solent, ad officiũ in rebus omnibus retinendum, ad dignitatem, ad virtutis gloriam, ad pietatem, religionemque colendam; vt qui Rex futurus esset, iam inde à prima ætate sapiēter instructus sibi ipse prius disceret, quàm gentibus imperare: neque prius Rempublicam gubernandam capesseret, & ab hostiũ iniurijs defendendam, quàm virtutis præsidijs suum ipse animum muniuisset, atque firmasset. Quàm verò bon⁹ princeps diligenter, ac seriò ætatis flore & in litterarũm, & in virtutũ omniũ studiũ incubuit? Proponebat ille sibi æqualium suorũ maximè strenuos adolescētes, quorũ & in-

industriã, & laborẽ turpe sibi existimabat esse, si non aut imitaretur, aut vinceret: ne quibus potentia superior esset, studiorũ, & virtutis laude inferior videretur. Quẽ cursum laudis, & gloriæ in omni genere & literarũ & virtutũ à prima ætate susceptum, sic in reliqua vita tenuit, vt quantùm reliquos homines imperij dignitate, atque præstantia, tantùm sapientia superaret. Hæc igitur præclarissimus adolescẽs iecerat fundamenta virtutum, hęc initia posuerat futuræ laudis, & gloriæ, cùm post parentis eius obitum in regia est dignitate constitutus. Iam te, sanctissime Ludouice, altiùs oportet volare, neque in isto altissimo tamẽ glorię, atque virtutis gradu consistere. Satis fecisti pueritiæ tuæ, satisfecisti adolescentiæ virtutis gloria, quam pro tuis viribus comparare potuisti: nũc iam matura, atque perfecta ætas, *A bonis fortunæ.*

Regia dignitas, perfectis quoq; moribus, atque regijs decoretur, necesse est. Ista iã tam grauis persona alios mores, aliam vitam postulat: ex qua scilicet non ab adolescẽtibus solùm, sed à summis etiam, atque amplissimis viris virtutũ omniũ exẽpla petantur. In regia igitur sede, atque solio summa totius Reipub. voluntate, beneuolentia, & gratulatione constituitur. Quid tum? Quod ille vitę genus orditur? Quomodo nouę dignitati noua vitę ratione respõdet? Vetus illud est, ac peruulgatum; res quidem ijsdem artibus facilè retineri, quibus initiò comparatę sunt. Regium igitur nomen, quanam alia ratione putamus Ludouicum retinere veriùs potuisse, quàm ea, qua qui primùm Reges appellati sunt tã prę clarum, atque illustre nomen inuenerunt? Quis est enim, qui ignoret, fuisse quoddam tempus, cùm homi nes

nes in syluis, atq; in agris sine duce, sine gubernatore, sine vllis aut legibus, aut certis moribus viuerent. Cũ nihil humana ratio valeret. Omnia vis, atq; furẽs animi impetus gubernaret. Cũ tãtũ quisq; haberet, quantũ alijs per vim, per scelus, ac fraudẽ posset eripere. Cũ ipsi deniq; homines non ad humanam societatem, atque commercium, sed ad sempiterna dissidia, atq; bella nati esse viderentur. Qui ergo eo tempore excellentiori quadam natura, atque ingenio prẹditi parum inter hominum vitam ac belluarum feritatẽ interesse animaduerterent, iustitiæ, & æquitatis amore allecti, & eã ipsam amarẽ, atq; colere, & eandem alijs totis animi viribus persuadere cæperunt. Itaque factum est, vt eos dissipatos antea, atque dispersos in certa loca compellerent, certis moribus, legibusque coniungerent, &

societate quadã copularẽt. Atq; hos quidẽ barbari illi homines, atq; feri ipsorũ doctrina mansuefacti, ad humanitatẽq; traducti, quoniã se illis gubernãdos, regẽdosq; tradiderũt, reges appellãdos putarũt, hos excellẽtes viros, atq; diuinos existimarũt: horum præstantiã admiratus Hesiodus, Reges à Ioue procreatos esse dicebat. Hoc illa Orphei lyra, cantusque significat, cuius suauitate flumina ipsa consisterent, cuius mira dulcedine montes, ac saxa traherentur. Ergo à iustitiæ, æquitatis, & honestatis fonte regij nominis primùm gloria manauit. Qui ergo Rempublicam ita gubernarit, suos ciues ita rexerit, vt eos primò præclaro vitæ exemplo ad honestatem inuitet, optimis deinde legibus, & Institutis ad religionem colendam impellat, eũ ego & verè Regem, & Regio animo esse dicam. Quid horum igitur in

ſanctiſsimo Ludouico deſideramus?
Quid nō admirabile, atque ſingulare
fuit? Quod omnino virtutis ornamē
tū non in eius vita, atque moribus
maximè claruit? Nā ea primùm vir- A virtuti-
tus, quæ maximè in Regibus cōmen bus.
dari ſolet, quantopere Ludouicū or
nauit; ſingularis quædā abſtinentia;
atque admirāda frugulitas? Et quidē
Regias viri ſanctiſsimi laudes prædi
care cupienti illud in primis maximā
mihi ſuppeditat copiā, vnde aliorū
tetra facinora, immaniaque flagitia
profluxerūt; proſpera illius fortuna,
rerū omniū affluentia, ſummæ opes,
ſumma potētia. Vt enim oēs intelli-
gerēt, quod pleriſq; perſuaderi ſatis
nō poteſt, ampliſsimas fortunas, exi
miāq; virtutē nō inter ſe natura, ſed
nequitia hominum, peruerſitate, &
improbitate diſsidere, atque diſiun-
gi; ſic vtrunq; vir clariſsimus copula
uit, vt neq; ſummæ illius copiæ, atq;
opes

opes in tāta virtute minui, neq; summa eiusdem virtus in tanta rerū affluentia eneruari, debilitariúe potuerit. Ea enim quæ plerique mortales immodicè concupiscunt, & ad voluptatem auidissimè comparant, amœnissima prędia, argētum, aurumque cælatum, stragulas vestes, signa, tabulas miro opere, artificioq; visendo, non abijciebat ille quidem, sed ad regiam dignitatem pertinere arbitrabatur, non ad suam ipsius voluptatem, delitiasque possidebat. Itaque ijs omnibus sic vir abstinentissimus vtebatur, vt ea nō sibi habere videretur, sed vt aliorum oculos pasceret, non vt suum ipse, sed vt aliorum animos oblectaret: vt maximè mirū sit, eius animum tam multis fortunæ bonis implicatum, sic explicatū semper fuisse, solutum ac liberum. Iam eodem viro quis integritatis, atque innocentiæ laude præstantior? qui

vt valdè persuasum omnibus est, nulla vnquam mortiferi criminis labe suum animum macularit. Quis religionis studiosior? in qua colenda, tuendaque sic excelluit, vt eius tempore diuinus cultus mirè propagatus, amplificatusque fuerit. Quis humanitate erga miseros homines, ac facilitate excellentior? qui vniuersis ad se tam faciles aditus esse patiebatur; sic ad eorum se humilitatem demittebat; vt cùm illum grauitate regem diceres, illis humanitate parem iudicares. Quis charitate ardentior? quā cùm ipse flagraret, eos, quibuscum ageret, inflãmabat. Iam illa virtus, quæ cęteras facilè continet, atq; custodit; quæ sui amatores efficit, vt quò potentiores sunt, eò se gerant summißius, quã insignis in illo fuit, quantopere regiam eius dignitatem illustrauit? Sic enim accepimus: eundem & potentißimum Regẽ, & san-

ctissimum virum ea loca frequentare solitum, vbi pauperrimi homines varijs corporis morbis affecti curarentur, ibique & purpuræ, & maiestatis regiæ, ac dignitatis oblitum ad sordidissimi cuiusuis pedes prouolutum, eidem adesse, eundem consolari, eiusdem & curare vulnera, & regijs tractare manibus non exhorrescere. O spectaculum hominibus antea nunquam auditum, ipsis diuinis mētibus admirabile immortali Deo gratum, atque iucundum. Ponite, quæso, vobis ante oculos, Auditores, potentissimum Regem, ornatu regio, atque cultu, maiestate ipsa venerandum, regali solio relicto in publicum prodeuntem, stipatum maximo comitatu preeūtibus fascibus, regni principibus subsequentibus, infinita circunfusa multitudine, omnibus eidem honorem vndique maximum exhibentibus. Visitatum quidem

quidem eſt hoc, & tamen nemo eſt, qui pulcherrimam illam maieſtatis ſpeciem, ac formam aſpiciat, quin tantam amplitudinem admiretur. Sed eundem tamen, obſecro vos, veſtris animis proſequimini, in noſodochium ingredientem, ad tenuiſſimi, ac pauperrimi hominis lectulum ſqualore ipſo, atq; pædore horridum accedentem intuemini: ibiq; eundem corona depoſita, regijſque abiectis inſignibus, inſpectante populo, eius repente ſeruũ conſiderare, qui propter humilitatẽ, indignitatem, atque miſeriã ne dominũ quidem, ſi quęreret, inuenire poſſet. Iã hoc quàm nouum eſt? quàm inuſitatum? quàm omni prædicatione dignum? Quòd ſi illius apparatus regij quotidiana conſuetudo admirationem non tollit; hęc tã noua regię maieſtatis forma quantã admirationem debet afferre? Quis non hanc

tan-

tantam animi summissionem eius generis esse dicat, qua ille Rex regum, ille dominantium dominus in piscatores tenuissimos homines vsus est, cùm ad eorū se pedes abiecit, vt eorum sordes ablueret? Ab illo diuinitatis solio assertor noster in hominū terras hominum causa descendit, vt animorum vulneribus mederetur: atque hoc vnus ille quidem facere potuit, quippe qui Deus vnus sit, vt tam altè descenderit. Sed hanc illius tam incensam charitatem, tamq; admirabilem summissionem animi Ludouicus noster imitari cupies, se ipsum quantum potuit abiecit, atq; ita, vt neque ex altiori dignitatis loco descendere, neque ad humiliorem se dimittere, deprimereque potuerit. Age verò, illę virtutes, quę regię dignitati splendorem maximum afferunt, quàm excellentes in illo fuerunt? Quanto rerum vsu, atque experien-

perientia valuit? qui cùm pueritiam, atque adolescentiam in litterarũ studijs posuisset, eius vix confirmata ætas, principium habuit imperij gubernationem, administrationemque bellorum. Quantum in eo ingenium eluxit, atque prudentia? qui sic omnia prospiceret, rebusque admirabili sapientia prouideret, vt quæ mala humano consilio vitari, nullo modo posse viderentur, ea felicissimum casum, atque exitum inuenirent: in quo præclarissimum ingenium, eximia virtus felicissima fortuna eiusmodi fuerunt, vt ex animi sententia rerum euetus, nescires, cui eorum potiùs adscriberes, singula eam sibi laudem vindicare viderentur. Quæ verò in administratione bellorum, siue in imperij gubernatione aduersa contigissent, ea verò, quoniam Dei voluntas ita ferret, tãtã æquitate animi tollerabat, vt in

magna diminutione opum, atque potentiæ, animus tamen ipsius nihil de magnitudine amitteret, atque constantia. Eius verò singulari modestiæ quæ potest oratio inueniri par? Quæ tanta profectò fuit, quantam ipse terrarum orbis semper admiratus est, atque omnis posteritas prædicabit. Cuius enim vnquam pudicitia tã acriter oppugnata, sic prorsus integra? cuius castitas deliciarũ satellitibus tam obsessa, sic penitus libera? cuius integritas animi tam multis voluptatis blandissimæ machinis tentata, sic incorrupta, atque constãs reperta est? Iã de ipsius in administrãda Rep. diligentia quid dicam? Qui vt regno suo cõsuleret, deesset sibi: vt sui ciues liberè, ac trãquillè viuerent, nũquam ipse liberum, ac tranquillum spiritum duceret. Hunc igitur virum sanctissimum, tot regijs virtutibus ornatum verè quidem Regem

gem appellare possumus: qui non minus sapienter se, quam suos regere, ac moderari potuit. Nam illi quidem, qui cum regium nomen obtinerent, suis ipsi cupiditatibus, ac libidinibus seruierunt, non tam Reges, quàm vilissimi libidinum serui appellari debent. Vt enim citharędum non citharę faciunt, sed citharam pulsandi peritia: ita non qui regni opes possidet, sed qui regnandi scientiam tenet meritò Rex iudicandus est. Itaque summum illum Xerxem opibus, atque potentia: Maximum Alexandrum victoriarum laude celebratissimum: innumerabilesque alios, qui ad delitias, & voluptates imperio, ac potentia abusi sunt, regiũ quidem nomen, nõ regiam tamẽ dignitatẽ obtinuisse dicemus. Ludouicum verò qui seuerius sibi, quàm cęteris imperabat, duriores sibi leges, quàm suis ciuib⁹ A collatione.

imponebat: qui ſe ipſum vincere glorioſius putauit, quàm hoſtes, ſi nomen aſſecutus non eſſet, regiam tamen dignitatem adeptum illum eſſe, prædicare poſſemus. Hæc Ludouici ſanctiſsimi Regis vita fuit, hi mores, hæc Reipub. gerendæ ratio: in qua nihil profectò niſi præclarũ, nihil niſi eximium, ac planè regium reperietur. Quid verò ipſius extremæ vitæ actus? qualem in eo ſe Ludouicus præbuit? quomodo tandem vitam ipſam terminauit? Id iam, ſi placet videam⁹, Auditores, vt quod illius vitæ vltimum fuit, id quoq; noſtræ ſi orationis extremum. Ardebat vir præclariſsimus Chriſtianæ religionis propagandæ incredibili quodam ſtudio: atque eò quidem magis, quò propiùs ſe ad exitum vitæ acce dere iam animo præſagiebat. Ob eamque cauſam non modò imperij ſui fines, cæterarumque prouinciarũ, at-

que regnorum, ſed ipſa terrarum orbis ſpatia nimis anguſta putabat eſſe ad veram religionẽ amplificãdam, diuiniq; cultus terminos dilatandos. Huc omnes illius curæ, omnes cogitationes, omnes vigiliæ conferebantur. Et vt nihil à ſe ad eam rem prætermiſſum eſſe, quod quidem præſtare ipſe poſſet, aliquando doleret, Saracenis perfidis hominibus bellum inferre conſtituit, vt aut ipſi terrore belli ad Deum ſe ſuum, effectoremque cõuerterent, aut ſi id minùs procederet, iiſdem deletis, & extinctis, eorum ſedes religionis cultores homines occuparent. Eam verò rem quam ſtudioſè diligenterque ſuſcepit? Neque enim minus acer in ſuſcipiendo fuit, quàm pius fuerat in cogitando. Magnas igitur copias, multos exercitus bonus rex, atque Eccleſię propugnator acerrimus quàm breuiſsimè comparat, omnibus armis

optimè instruit, sed multò magis religione ipsa, ac pietate firmat, ac roborat: ijsdem se ducem præbet, & ad rem militarem administrandam, & ad ipsa belli pericula subeūda. Quid tum? In ipso iam hostium conspectu castra locauerat, de committendo prelio, signisque conferendis agebatur; cùm ecce repente pestis exoritur, atque ita per milites serpit, vt cùm subitò multos oppreßisset, multos infecisset, multos tentasset, nulla breui tempore castrorum forma, nulla species exercitus appareret. Et tamen idem permanet Ludouicus, qui semper fuerat: hoc est, animo quidē regio, regia magnitudine, atque constantia. Atque hoc quidem tempore eius optatis voluntas, credo, diuina respōdit; qui ita mihi videtur optasse; vt quoniā tā multos ex suis pestifero illo morbo tam miserè videret extingui, ne ipse meliore quā cæ-

teri conditione videretur, quos sem per fuisset non minore, quam se ipsum amore complexus. Ergo eadem illa Ludouicum pestis inuadit, atque ita acriter, vt breui illum ad exitum vitæ perduxerit. Attendite, iã attendite, Auditores optimi, quem regio vixisse animo audistis, regio quoq; animo morientem. Etenim oculis in cęlum intẽtis, vbi suum ipse animũ à primis annis, mentemque defixerat, regia illa diuini vatis verba summa alacritate animi, & vultus hilaritate cum extremo spiritu edidit. Introibo in domã tuã, adorabo ad tem plũ sanctũ tuum, & confitebor nomini tuo. O vir præclarissime, atque admirabilis! O vita felicissima, quam tam beata mors consecuta est! Introibo, inquit, in domum tuam, Quã bene sperat, in cælesti se domicilio locum habiturum, qui tam multa ipsi Deo in terris domicilia ædificasset:

A mortis genere.

casset: tam multa templa religionis causa erexisset: tam multa nosodochia constituisset: tam multa religiosorum hominũ cœnobia fundasset.
A collatione. Quantum igitur interest inter illorũ regum, quorum modò mentionem fecimus, intolerabilem dominatum, ac Ludouici nostri æquissimum, iustissimumque imperiũ? Quam longè aliter de illorum, atque de huius tum vita, tum morte omnis posteritatis memoria cõmemorabit? Quis enim illos nisi vituperationis causa nominet? Quis verò huncnisi summi honoris, ac religionis causa appellandum putet? Quis nõ illorum vitia, libidines flagitiaque reprehẽdat? Quis huius admirabiles, eximiasque virtutes non laudibus efferat? Quis illos sempiternis supplicijs apud inferos dignissimè torqueri non censeat? Quis hunc in Diuorum numerum relatum esse nõ gaudeat? Atq; illo-

illorum quidem monuméta, si quid in illis gloriæ aliquando fuit, manu atque industria hominum facta ipsa iam temporum vetustas cósumpsit, atque deleuit; hui⁹ viri perpetuò manent monumenta virtutum: quæ cũ interire nõ possint, ne illarum quidem gloria vllum est finem habitura. Hunc igitur diuinum hominem, præstantissimum Regem, tot nominibus præclarissimum quo tandem cognomine compellabimus? Titus ille Manlius, quòd hosti torqué detraxerit, gloriosum illud Torquati cognomé inuenit. Atqui multò maiora opera Ludouicus, multò illustriora facinora edidit. Illum ne ergo Magnum dicemus? meretur ille quidem, sed hoc illi cognomé à Carolo Magno præreptum est. Pium ne? nemo illo religiosior, nemo magis pius verum Magni filius Ludouicus vt priùs nomen, sic etiam huius

cognominis gloriā sibi vindicauit. Num sapientē? excelluit ille quidē plurimū sapientia, sed iste tamen titulus Ludouico cuidā eius successori reseruatur. Quo tandem igitur te Ludouice cognomine appellem? nū iustum? magnificum? fortem? misericordem? innocentem? minora sunt quidem hęc omnia, quam quæ tuam dignitatē explicare posint. Christianissimū ergo? Studiosissimū te Christi Opt. Max. imitatorem, strenuum & acrē Christianæ religionis defensorem, ac propugnatorem agnosco, & pro ea causa occidisse te, scio: sed & parens tuus in simili expeditione obijt, & hoc tibi cognomen cū cæteris Francorum Regibus commune est. Proprium ergo quoddam, & peculiare, teque dignum quærendum est: & quidem, nisi fallor, inueni; Igitur te Ludouicum Regem, cognomine vero sanctum compellabo:

Quibus paucis litteris reliqua omnia, quæ in cæteris regibus, singula in singulis maxima sunt, vniuersa continentur. Hîc enim magnitudo, hîc pietas, hîc sapientia, hîc religio, hîc misericordia, hîc iustitia suā sedem, atque locum habent. Habent igitur in te Reges, quod imitentur: priuati homines, quod amplectantur: religiosi viri, quod emulentur: omnes cuiuscunque generis, conditionis, atq; ordinis virtutum omniū exemplar, ad quod mores suos componere, & cōformare queant. Quare hoc nobis regnū, Auditores optimi, hoc nobis proponamus imperium, hoc nos assequi totis animi viribus contendamus: humanam verò laudem, atque gloriam non pluris faciendam putemus, quam idem ipse fecit, qui cùm eadem abundaret, tantopere neglexit, atque contēpsit. Et qui prestātissimū, sanctissimum-

Epilogus

simumque Regem Ludouicum studiosissimè commẽdamus, laudibusque extollimus, propter ipsius potius eximias, diuinasque virtutes, atque excellentes animi dotes, quàm propter eiusdem opes, atque potentiam, ea in tanto viro conemur imitari, quæ in eodem admiramur, atque suspicimus, vt eius vestigia persecuti, eundem vitæ cursum teneamus, quem ille felicissimè, sanctissimeque confecit.

Vituperationis tractandæ exemplum.

Vituperatio Catilinæ.

Argumentum.

Exordium erit: Oportere quemadmodũ honestos viros laudamus, sic etiam improbos homines vituperare; vt non minùs ad hos detestandos, quàm ad illos imitandos adolescentes moueantur.

Vituperatio sic induci potest. Primùm fortunæ, & corporis bonis malè vsum eum fuisse dices. Deinde animi vitia persequêre.

turpi-

turpitudines, libidines, audaciam, odium in omnes bonos, & in patriam, quam delere conatus est. Eum præterea cum Romanis clarissimis comparabis, qui pro patria vitam profuderunt, cum Fabio, Fabricio, Camillo. Postremò tam turpiter obijsse illum dices, quàm vixerat; quando dum patriæ bellum faceret, in acie obtruncatus interijt.

Epilogus ad bonorum imitationem, ad improborum detestationem breui exhortatione concludetur.

Idem argumentum amplificatum.

QVemadmodum summa illi laude sunt digni, qui non modò ipsi egregijs virtutibus, præclareque rebus gestis claruerũt, sed suos quoque ci .es, atque patriam ornarunt: sic illi summa sunt vituperatione dignissimi, qui cùm clari per se, atque illustres esse possent, non modò suã à maioribus acceptam gloriam obscurarunt, sed suæ quoque patriæ tenebras offundere, cuiusque nomen extin-

extinguere conati sunt. Ex hoc autē genere fuisse permultos, & verissime narrant historię, & miserę multarum vrbium ruinæ interitusq; testantur. Ex quorum numero audacissimum illum, ac sceleratissimū Catilinam Romanum ciuem insignem in primis fuisse cognouimus, qui si re ipsa quod de euertenda, atque delenda patria cogitarat, consecutus non est, omnes tamē, qui suę patriæ hostes extiterunt, improbitate, scelere, amentia, atque impietate superauit. Quare, vt vtilissimum est, clarissimorum virorum eximia facta laudibus persequi, sic esse existimo eloquentię fructum non exiguum, sceleratorum, atque improborum hominum, qualis Catilina fuit, vitę, morumque turpitudinem acriter insectari dicendo: vt quantum adolescentes illorum laus ad virtutem alliciat, tantum à turpitudine, atque flagi-

flagitijs horũ vituperatio deterreat. Atque hoc quidem Catilina maiori est reprehensione, ac vituperatione dignus, quò plura tum ab ipsa natura tum etiam à fortuna adiumenta, atq; incitamenta habuit ad summam virtutis laudem, & gloriam, Nam qui nobilissimis parentibus ortus esset, honestatem profectò debuit, & virtutis dignitatem cũ nobilitate coniungere. Vt enim illa cum generis splendore coniuncta magis elucet, ac splendet; sic hæc nisi virtutis lumen accedat, tenebris facilè offunditur, & quasi sordibus obsolescit; & quæ vna potest virtutis dignitate comparari, vno eiusdem virtutis præsidio retineri, & conseruari potest. Sed ille tamen, quantum ipsius maiores tum generis claritate, tum virtutis præstantia inter suos ciues auctoritatis, & dignitatis colecuti sunt, tantum vitæ, atque moru prauí-

Quod fortunæ atq; corporis bonis male vius est

prauitate turpissime amisit, vt non minus hic flagitijs, sceleribusque insignis fuerit, quàm illi virtutibus, & rectè factis illustres extiterunt. Atq; ipsa quidem natura sic illum neruosum finxit, & ad famem, sitim, frigora perferenda robustum, atque valētem, vt facili negotio præclare rebus gerendis insignis existeret, si illā naturæ vim, atque robur ad virtutē, & honestatem, non ad omnes turpissimas suas libidines contulisset.

Ab educatione.

Nam vbi primùm adolescere cœpit, non eas quidem artes, ac disciplinas coluit, quibus vel vitiosa adolescentum ingenia corrigi, & praua cuiusque natura emendari solet, sed ijs se studijs penitus dedidit, quibus & suū ipse animum, & eorum, quibus cum ageret, deprauaret, atque corrumperet.

A vitijs animi.

Neque satis illi visum est, si turpis ipse esset, nisi omnibus quoque ętatis suę adolescentibus ad omnem

se

ſe turpitudinem, atque infamiam du cem præberet, facemque præferret. Itaque ſe omniũ ſcelerum maculis, ac ſordibus ita fœdauit, vt totum illum ex vitijs, flagitijſque conſtare, atque conflatum eſſe diceres. Quæ enim vnquam libido ab eius oculis? quod facinus à manibus? quód turpitudinis genus à toto corpore abfuit? Cui ab ipſa adoleſcentia nullus iucundior ludus fuit quàm cędes hominum, ac trucidatio, alienorum bonorum direptio, expoliatioque fortunarum, inteſtina bella, diſcordięque ciuiles. Cui nulla vllo tempore cogitatio gratior omnino occurrit, quàm quę in comparandis turpiſsimis voluptatibus, in alienę pudicitiæ inſtruẽdis inſidijs, in patrię vniuerſę periculo, atque interitu moliendo verſaretur. Iam verò ad ea, quę ſemel expetiuiſſet, aſſequenda tam erat audax, tam impudens, tam

amens, vt nunquam eum aut metus à periculo, aut pudor à turpitudine, aut deniq; ratio à furore reuocarit. Qui cũ talis euasisset ciuis indignus sane Romano nomine, ac dignitate, vt nullum iam in Republica facinus, sine illo, nullum flagitium nisi per illum existeret, tãto in patriam ipsam vniuersam odio flagrare, atque ardere cœpit, vt de eius incendio, ac totius Romani Imperij interitu cogitarit. Remque tam nefariè atque impiè excogitatam proculdubio amẽtissimus homo transegisset, nisi Marci Tullij Ciceronis, qui tunc erat Consul, singularis prouidentia, admirabileque consilium nefarijs eius conatibus restitisset. O portentum Romanæ Reipub. singulareque prodigium! Vix equidem interdum mihi persuadeo huiusmodi hominem Romano ortum genere, & sanguine, sed in aliqua immanissimæ gẽtis regione

gione natũ sæuissimis parẽtibus, atq; ab ipsis feris immaniter enutritum, atque educatum, casu aliquo Romã totius humanitatis sedem esse delatum. Quî enim potuit in tam bene moratã ciuitate tam flagitiosus ciuis existere, nisi cum primo vitæ spiritu ab ipsis impijs, immanissimis turpissimisque parentibus turpitudinem ipsam, impietatem, atque immanitatem hausisset? Quî potuit, nisi hoc ita esset, tantum in ipsam patriam scelus concipere, vt eam euertere, ac delere vellet, cùm in ea tam multa quotidie clarissimorum virorum monumẽta cerneret, qui vt eius fines propagarent vitæ suæ cursum immaturo mortis exitu terminarunt? Quãtum inter est, Deus immortalis! inter hunc hominem, vel feram potiùs immané atque illos præclarissimos viros Fabios, Fabricios, Decios, Camillos, Scipiones, ciues eiusdẽ patriæ A collatione.

eiusdem generis, eiusdem iuris. Illi se pro tuenda patria non dubiæ mor ti deuouerunt, hic pro eadem penitus delenda suam turpissimè vitam amisit. Illi suo profuso sanguine imperij sui fines amplificarunt, Romanumque nomen multò clarius, atq; illustrius reddiderunt: hic idē ipsum vel cum summo suo periculo prorsus extinguere conatꝰ est. Illi in expugnādis suæ patriæ infestissimis vr bibus fortiter, ac summa cum laude obierunt; hic dum suæ patriæ nefariū bellum inferret, à suis ciuibus in ipsa acie obtrūcatus, atque ad feras proiectus interijt. Neq; enim aliter mori debuit, qui tam fœdam, tam sceleratam, tam flagitiosam à prima pueritia vitam instituit, ac deinceps prosecutus est: vt qui dum viueret, tantopere patriam odisset, idem moriens honore patrio, funere, sepultu raque careret, Nos igitur, qui tam turpe,

A mortis ge nere.

Epilogus.

turpe, tamque impium vitæ genus omni contumelia dignum, vituperationeque putamus; curemus per Deum immortalem tantò studiosiùs optimorum virorum præclara gesta, eximiasque virtutes imitari, quantò huius perditissimi hominis, eiusdemque similium flagitia, atque probra vitanda, fugiendaq; censemus. Neq; verò parum profuerit, improbi hominis turpissimos mores nobis ante oculos posuisse, si eorum detestatio maximarum virtutum, quæ in excellentibus viris claruerũt, ardẽs quoddam studium, atque amorem in nostris animis excitaret.

Comparationis tractandæ exemplum.

Diuorum Petri, & Pauli comparatio.

Argumentum.

Patriam vnius cum alterius patria comparabis, quæ cùm dissimiles fuerint conditione, ac celebritate, æquè tamen ab vtroque nobilitatæ sunt.

Eosdem etsi diuerso tempore eundem tamen diuinum spiritum præceptorem, atque vitæ magistrum habuisse, dices.

Vtriusque deinde gesta, Christi imitandi studium comparabis. Petri munus in Christi grege pascendo cum Pauli munere in lupis ab eodem arcendis.

Genus denique mortis vtriusque & si dissimile pari tamen animo, ac voluntate susceptum.

Idem argumentum amplificatum.

CVm Sol ille iustitiæ Christus Opt. Max. veritatis lumen è cælo hominibus attulisset, depulsisque iam magna ex parte densissimis errorũ tenebris, in quibus homines versabantur, ad cælestes sedes reuertisset, duo clarissima lumina in orbe constituit, vt neque eorum mentes, quibus ipsa iam lux veritatis affulserat, tenebris iterũ absentia Solis opplerentur; & qui iacerent adhuc in tetra illa caligine tantorum luminũ

splen-

ſplendore colluſtrari poſſent. Quorum, Petri, videlicet, ac Pauli ſic eximiæ virtutis radij vniuerſum orbem illuſtrarunt, vt nemo qui cæcus eſſe ſponte ſua nollet, non poſſet in clariſsima luce, atque in cæleſtium rerũ cognitione verſari. Quos quidem A patria. pręclariſsimos viros, ſi alterum cum altero conferre velis, eos inuenies, longè diuerſa fuiſſe conditione naſcendi; viuendi tamen præclarè, atq; integrè ſimillimam vtriuſque, atque eandem planè rationé. Petrus enim ortus Bethſaidæ humile quidem genus, Paulus verò Tharſi Romanus ciuis natus clariſsimum duxit: ſed qui eos iterum in Chriſto naſci voluit, pari vtrunq; nobilitate donauit: ijdẽ verò præclariſsimè, atque ſanctiſsimè rebus geſtis æquè patriã nobilitarunt ſuã. In quo nouo vitæ genere, Ab vtriuſque inſtitutione. naſcendique conditione vtrum tandem feliciorem dicam? Petrumne, qui

qui tam longo tempore cum ipſo Chriſto vitæ magiſtro, ac ſanctitatis vna vixit, diuinitus eius preceptis eruditus, atque inſtitutus eſt? an verò Paulum, qui quo tempore ipſius Chriſti Opt. Max. ſanctiſsimum nomen conaretur extinguere; idque vt preſtaret, ſummo quodam furore, ac præceps amentia raperetur, eiuſdem voce ab ipſo cælo delapſa è medio curſu deterritus eſt, atque à tanto furore ad ſanitatem reuocatus? Sed in eo tamen feliciſsimus vterque fuit, quod ſi non eodem die, eundem tamen Spiritum ſanctum præceptorē, atque vitæ magiſtrum habuerūt: qui vtriuſque animum cæleſti doctrina, atque omnibus omnium virtutū ornamentis inſtruxit. In cuius diuina ſchola eam ſapientiam didicerunt, non quæ rerum cognitione contenta pleroſque hominū inaniter efferre, atque eorum animos inflare arro-

gantia, atque in solétia solet; sed quę animos pariter sapiéter erudiret, & ad ea, quæ didicissent opere, atque factis exequēda perduceret. Itaque cælesti à diuino Spiritu instructi disciplina, sic statuerunt; summam esse sapientiam totius vitæ rationem ad Christi Opt Max. vitam accommodare, atque eius, quoad possent, vestigijs insistere. Quem, cùm scirent, nullum vitæ tempus habuisse laboribus, ærumnis, ac difficultatibus vacuum, nihil item, vt ei similis esset, magis in omni vita Petrus optabat, quàm probra, quā ignominias, quā acerbitatem carceris, quàm verbera, quàm mortem ipsam per summa tormenta, acerbissimosque cruciatus. Oblatam verò occasionem eiusmodi aliquid sufferendi, quàm ille, non dicam ęquo animo, sed libenti, atque alacri excipiebat? De Paulo verò quid dicam? quicum humanā A rectè factis.

gloriam, ſeque ipſum penitus contempſiſſet, in vna Chriſti Optimi Maximi cruce, hoc eſt, in ſummis laboribus, in extremo dedecore, atque ignominia, ipſius Chriſti cauſa, atque amore ſuſcepta omnem gloriã, laudemque ponebat. Ecquis vnquã Petro dies iucundior illuxit, quàm is, qui in illo tetri carceris horrido ſqualore, atq; fætore duriſsimis vinculis tenebatur aſtrictus? Paulus verò quem vnquam vidit lætiorẽ diem, quàm eum, quo plagis publicè crudeliſsimè cædebatur? Atq; his duobus hominibus, qui præceptoris ſui vitam, tam diligenter imitarentur, idem ipſe præceptor Chriſtus totius Chriſtiani gregis curam ita com miſerat, vt Petrus paſtoris munere fungeretur, Paulus verò vocis præconio ab illius paſtibus rapaciſsimos, ac ſæuiſsimos lupos arceret.

A mortis genere.

Iam verò neque ipſa eorum mors

diſsi-

dissimilis esse potuit, quorum vita pietate, religione, ac sanctitate morum tam similis fuerat. Nam etsi genus quidem mortis, atque cruciatus non idem vtrique fuit, fuit tamē vnus atque idem animus, vna atque eadem causa moriendi. Cùm enim nullis neque minis, neque blanditijs à Nerone tyranno crudelissimo deterreri possent, quò minùs diuinam Christiani nominis gloriam prædicarent, eiusdem imperio atrocissimè necati sunt. Itaque Petrus in verso capite ad crucem alligatus, Paulus capite abscisso iniqui Imperatoris imperio, quam vitam necessitati debebant, Christo potiùs donare, quā naturæ reseruare voluerūt. Nos ergo qui principū Apostolorum sanctissimā vitam, tāta morum, præclarissimarumque virtutum similitudine actam, terminatamque videmus, & admiramur, eos & summis laudib⁹ effera-

Epilogus.

efferamus, & tantarũ virtutum imaginem in nostris animis conemur exprimere; vt qui propter eius pulchritudinem tanto vtrumque amore complexus est, vt cælesti eos regno donarit, idem nos non dissimili virtutũ forma decoratos, simili quoq; & amore, & beneficio cõplectatur.

Ethopœiæ tractandæ exemplum.

Quæ verba faceret Beatus Laurentius à tyranno damnatus, vt in craticulam positus subiecto igni torreretur.

Argumentum.

Hic, vt in præceptis diximus, tria spectantur tempora præsens, præteritum, futurum.

In præsenti voluptatis affectus exprimi potest ex ipsa tyranni sententia, propter eũ, quo vir sanctißimus in Deum amore flagrabat.

In præteritum illa conferri possunt. Qui aliquando Deum offenderit, par quidem esse, eum

eum non ab hominibus solùm, sed ab ipsis rebus inanimis cruciari.

In futurum verò; Magnam esse lætandi causam ei, qui breuißimi temporis cruciatu, sempiterna se speret præmia consecuturum.

Idem argumentum amplificatum.

TAnta est animi mei lætitia, qua totus ipse perfundor, vt in ea tamen illud vnum verear; ne si quod mihi tormenti genus crudelissimus tyrannus comparauit, in alium diem differri velit, mentem ipse, sententiamque commutet. Ignem mihi homo impius, atque immanissimus ad terrorem proponit, crates parantur, quibus impositus, subiectis flammis totus ipse comburar. Sed quæ illius, vt à proposito me deterreat, excogitauit immanitas, & quibus ille tormentis vinci me, ac superari posse confidit, illa ego sic expecto, vt ne minimam quidem moram interponi velim. Egone ignes? ego flammas? A præsenti tempore.

ego

ego crates perhorreſcam? Quid habet flãma? quid carbones? quid candens ferrum? quã hæc tandem omnia vim habent? me vt torrere poſſint? vt vrere? vt diutiſsimè cruciare? At hæc mihi omnia hodierno die omni ſuperiori vita optatiſsima cõtigerunt. Atque adeo vt ſi mihi eſſet tormenti genus quærendum, quo meum corpus, ſingulaq́ue eius membra diſcruciarentur, vinceret, credo, in eo excogitando, & comparando meum, Chriſte ſanctiſsime, aduerſa quæque pro te patiendi ſtudium, atque cupiditas, ipſius ſæuiciem, immanitatemq́; tyranni. Sed quando hęc mihi facultas nõ datur, ſubibo ęquiſſimo, ac libentiſsimo animo quod illius impietas, crudelitaſq́; inuenit. O dies mihi feliciſsimus, ac iucũdiſſimus, quo idem ignis & mei corporis membra cõburat, & animi ſimul ſordes, atque maculas eluat. Quid

melius?

melius? quid optatius potuit eueni- A prioton
re? quid meis criminibus dignius; so.
quàm vt in eum, qui toties in supe-
riore vita diuinam bonitatem offen-
derit, non modo iam ipsi homines,
sed vniuersæ etiam animantes, at-
que ipsæ res inanimes sęuiant? Sępe
meum animum Christe sanctissime,
inanium rerum cupiditates incende-
runt, atque vexarunt; & vt corpori
seruirem meo, & animo ipsi plurimũ
nocui, & tui amorem in eo sępere-
stinxi. Par igitur est hodierno die,
vt corporis mei mẽbra combusta, &
tuã mihi gratiam concilient, & salu-
tarem animo afferant medicinam?
Sæpe ego in latebris, atque in tene-
bris, quasi tu summus atque immor-
talis Deus non adesses maiestatẽ tuã
minimè veritus: sæpe etiam in luce
atque cõspectu hominũ diuinas tuas
leges audacter, flagitioseq; perfre-
gi: nunc ergo mihi iucundissimum,

ac

ac glorioſiſsimum eſſe debet, quòd, quia te vnum Deum colendum eſſe non occultè, aut obſcurè, ſed palam, atque apertè profeſſus ſim, ad cruciatum ducar eiuſmodi, quo mea ipſius membra inter carbones, ac flammas quaſi ardentes quædã faces eſſe poſsint ijs, qui in tenebris adhuc iacent, atque in vmbra mortis ſedent; vt à tenebris ad lucem, à morte maximo tuo beneficio reuocentur ad
A futuro. vitam. Quòd ſi hæc tormenta, quæ iam mihi comparata ſunt, ſempiterna futura eſſent, tamen ſi ad aliquam tuam gloriam pertineret, Chriſte Opt. Maxi. ego ipſa pro te eadẽ animi voluntate, alacritateque perferrem. Sed ô admirabilis clementia tua! ô liberalitas ſingularis! Tormentorum ſpatia breuiſsimis terminis circunſcribi voluiſti, præmiorum verò, quæ conſecutura ſunt, ſempiternis. Quibus ego meritis ſummæ pater,

quibus

quibus obſequijs tantam potui beneficentiam promereri? Egone poſt breuiſsimi temporis dolorem ſummis, atq; æternis voluptatibus perfruar? Egone ſum ex hac immani ſatellitum turba ad illum feliciſsimum beatorum cætũ migraturus? Egone mortali corpore extincto, ignique conſumpto iam immortalis immortaléipſum Deum viſurus ſum? Ego in eius conſpectu incredibili expletus voluptate cõquieſcam? cum beatis illis mentibus diuinam eius maieſtatem, diuinaſque virtutes perpetuis laudibus perſequar? Veſtram iam ſæuiſsimi ſatellites negligentiã, ac tarditatem accuſo, quo enim vos in me cruciãdo negligentiores eſtis, eò magis futuræ meæ voluptatis, futuræ meæ felicitatis, atque gloriæ tempus differtur: quoque vos ipſi in afferẽda mihi morte præbetis tardiores, eò longiùs à me vera vita abeſt,

as sempiterna. Me, igitur cruciatib*, me igni libenter offero; non mortem recuso, non reformido. Te verò interim precor, Christe sanctissime; vt quando huc me tui ardentissimus amor adduxit, dum carnifices meo corpori comburendo ignem, lignaque subijciunt, meum tu animum ardentissimis facibus tuæ charitatis inflammes.

Descriptionis tractandæ exemplum.

Tota descriptionis venustas in eo est, vt res non dici, sed geri; non narrari, sed cerni videantur: siue personas, siue loca, siue facta, siue quid aliud describas. Nos facti descriptionem subijciamus.

Infantum Innocentium internecionis descriptio.

CVm sæuissimus ille Herodes Iudæorum Rex, à Magis didicisset, natum esse Bethleem diuinum infantem, cui Iudeæ prouinciæ regnum iure

iure deberetur, perculsus animo, & conscientiæ stimulis agitatus, vt qui per summũ scelus teneret imperiũ; vereretur q; ne illud sibi meritò auferretur, quod indignissimè possidebat, nihil non tentauit, vt diuinum puerum I E S V M & inueniret, & interficeret. Cui cum aliæ cogitata perficiendi rationes minùs processissent, aliam excogitat eius planè immanitate dignissimam. Omnes infantes, quotquot intra Bethleem fines ad duos vsque annos nati reperirentur, sine vllo discrimine interfici iubet; vt cum reliquis pueris cælestis quoq; infans interiret. Immanissimis quibusdã hominibus negotiũ dat. Illi vt erant feritate barbari, ferisque ipsis sæuiores, rem transigũt multò crudelius, quàm aut dici, aut excogitari potest. Adeũt omnia oppida, atque vicos, qui Bethleem finibus continebãtur; in singulas repetè

domus irrumpunt, innocentissimos infantes alios à parẽtum complexu crudelissimè abstrahunt, atque ad parietes, aut saxa immanissimè allidũt: alios iacentes in lectulis pugionibus confodiunt: alios in ignem ad domesticos vsus comparatum in ipso paruntum conspectu coniјciunt. Matres interim ipsæ aliæ aliarum plangore, lamentationibusque admonitæ, cũ tantæ calamitatis causam non nossent, tantùm innocentum infantũm sanguinem à sæuissimis lupis postulari cerneret, se ad impuros carnificum pedes supplices, miseræque proijciunt, vt innocentum puerorũ misereantur, cum multis lachrymis rogant, aut in se ipsas potiùs furorẽ, gladiosque conuertant. Vbi nihil apud immanes illas belluas miseras preces, nihil lacrymas valere vidẽt, sinu, atque gremio filios, quibus reliqui fuerant, complectuntur suos, & furentes

furentes gladios excipere suis ipsæ corporibus malunt, quam clarissimorum filiorum vitam satellitum immanitati committere. Itaque passim cerneres alias vnà cũ infantibus ense transfixas: alias dum eosdem defendũt, plurimis plagis, vulneribusque confectas: alias ante miseram filiorum mortem non iam satellitum gladio trucidatas, sed præ nimio in suam sobolem amore, & charitate, intimo ex ipsius interitu animi sensu, atque dolore consumptas. Illud verò quoties accidit miserum quidẽ ad spectaculum, ad dolorem maximè luctuosum? vt dum mater filium ex altera parte teneret, atque defenderet, ex altera ad se satelles immanissimus traheret, pueri membra vtriusque vt inter eorum manus discerperentur; laniatusque ille partim pius, partim sceleratus infantulo vagienti, horribilis verò rei tam atrocis

aspectus eidem matri vitam auferret. Et tamen sęuissimi homines neque mouentur parentum vel lacrymis, vel interitu; neque tanta innocentum internecione ab immanitate deterrentur; neque verò tanto profuso sanguine saturari, ac sitim explere possunt. Tantum imperandi cęca cupiditas metibus furorem affert; tanta immanitas, atque sęuitia humanum animum occupat, vbi naturę suę oblitus penitus exuit humanitatem.

Thesis tractandæ exemplum.

An litterarum studia sint amplectenda.

Argumentum.

Exordium duci potest ab ipso dicentis studio erga bonas litteras.

Vt probes amplectenda illa esse; primum ab honestatis argumenta duces. Nihil esse homini præstantius, & honestius, quam eam sui partem, quæ præstantior est, hoc est, animum ipsum excolere: quòd præclara doctri-

 na

namoleſtiarũ aberrationẽ, diuinarũ rerum cognitionem afferat, & vt ſapiẽs ipſis contemplandis frui poſſit. Quæ ratio veteres ſapientes ad ſapientiæ ſtudium concitauit, vt Socratem, Zenonem, Platonem.

Ab vtili ea duces argumenta. Sapiẽtium hominum præſidio Res ipſas pub. contineri, qui optimis legibus, & inſtitutis præclaros mores inducunt, prauos tollunt.

A facili. Facile eſſe ſapientes in Republica, & fieri, & conſeruari, ſi præmia proponantur, cùm homines ipſi & tam ſint appetentes gloriæ, & innata ſciendi cupiditate teneantur.

A neceſſario. Eos autem conſeruare neceſſitas ipſa cogit, cũ ſi à Rep. illi deſint, ipſa Reſpublica intereat neceſſe ſit, moribus corrupta latrociniis, homicidiis, inteſtinis bellis infeſta.

Epilogus breuem argumentorum enumerationem, & litterarum commendationem continebit.

Idem argumentum amplificatum.

VEllem equidem, Auditores optimi, aliquid in nobis esset ingenij, aliqua vis, facultasque dicendi, ad eius rei causam agendam, partesque defendendas, quæ, vt omnium præclarissima est, sic præstantissimũ aliquem, eloquentissimumque oratorẽ postulabat. Sed si quid hac nostra tenuitate ingenij, si quid exercitatione dicendi consecuti sumus, id certè totũ vel imprimis ea ipsa res, quam defendẽdam suscepimus, à nobis exigere prope suo iure debet. Nam si è præclaris artibus, ac disciplinis, tanquam è perennibus fontibus hausimus ea, quibus hanc ipsam vocem informare possemus, cùm eædem ipsæ nostra nunc opera indigeant, atque doctrina, optimo certè iure à nobis repetunt ea, quæ nos ab ijsdem ipsis accepimus. In quo illud mihi lætandum esse video; orationẽq;

mihi deesse non posse de ea ipsa re, quę cæterarum rerum omnium defensioni materiam subministrat. Illud enim in deliberationem venit: Vtrum amplectenda litterarum studia, an verò neglige̊da sint. Quæ deliberatio & si apud sapientes viros dubitationem nullam habere potest; à sapientibus tamen viris, quales ij sunt, qui me audiunt, quid sit in ea maximè verum, iudicandum est. Et quidem, vt dicam ipse quod sentio, nihil præclarius homini esse potest, nihil ipsius excellentia dignius, atque præstantia, quàm si in ea se studia penitus dederit, quæ ingenium excolunt pręclaris artibus, mẽtemque ipsam imbuunt optimis disciplinis. Cùm enim natura nostra ea sit, vt corporibus animisque constemus, habeantque multa corpora nostra cum bestijs ipsis, animi verò nostri cum cælestibus multa commu- Ab honesto.

nia: nũ nos dubitare possumus quasi in medio positi, in vtram partem inclinare; num vel ad diuinas mentes imitandas erigi, atque excitari, vel ad sequendas immanes belluas abijci, ac deprimi debeamus? Atqui præclara, honestaque doctrina hoc in primis hominibus quidem præstat, vt eorum animi, qui natura ipsa ad rerum cælestium amorem rapiuntur, si minus illis in hac mortali vita frui possint, ijsdem tamen cognoscendis, & contemplandis eximia quadam voluptate pascantur. Quantum verò litterarum cognitio, studiumque sapientiæ valeat ad hanc animi facultatem, vt mortali etiam corpore inclusus inter ipsas beatas mentes posit cogitatione, & contemplatione versari, vel ipsi rudiores homines, atque omnino litterarum expertes testimonio nobis esse possunt; qui quod illa

co-

cognitione careant, non modò cælestia, sed ne humana quidem, & quæ sunt in conspectu proposita, ac neque se ipsi nouerunt. Iam nemo profectò tam rudis reperietur, tã hebeti ingenio, agrestique natura, qui nisi mente planè destitutus sit, non sentiat in animo vacuitatem quandam, & eadem explendi insatiabile simul cupiditate. Quam quidẽ, quoniã cęlestiũ bonorũ est, humanis rebus expleri vllo modo posse, stultum est dicere: eorum autem desiderium, aut ipsorum, dum mortales sumus, contemplatione aliqua ex parte leniri, aut nulla præterea ratione profectò potest. Quare si quid est, in quo humanus animus in hac tam misera, & calamitosa vita, aut molestiarum aliquam aberrationem, aut aliquid etiam interdum voluptatis inueniat, est id quidem in primis optimarum artium, ac disciplinarum

studium, quod ipsius quasi pabulum quoddam est, quo eadem illa compa rantur, quo suam ipse dignitatem, prçstātiamque cognoscit. Quç vna ratio veteres illos Philosophos mouit, vt se litterarum studijs ita penitus dederent, atque dicarent, vt etiā naturç, vitçque conseruandç necessitati tempus eriperent, quod vel rerum commentationi, vel aliorum libris legendis, vel suis scribendis darent; vel suam denique aliqua ratione doctrinam augerent. Quid enim illæ tam longç Socratis vigiliæ? quid Zenonis? quid Aristotelis, multorumque prætereà Philosophorum sibi voluerunt? Quid illa Platonis tā longa, tamque diuturna peregrinatio suscepta fuit? nisi vt ille doctissimorum hominum, qui vbicunque terrarum essent, consuetudine quotidie aliquid addisceret, & ad maiorem cçlestium rerum cognitionem peru-

perueniret? Quid aliorum illius ętatis, atque etiam consequentium in litterarum studijs labor assiduus, qui dulcedine quadam, ac voluptate capti in libris in hęrentes, aut in rerum contemplatione fixi dies, noctesq; in somnes traducebant? Num hi omnes tantam contentionem ferre potuissent, si non abundarent incredibili quadam voluptate, eamque hominis dignitate dignissimam iudicarent? Et quisnam erit, qui honestissimo litterarum otio negotiorum molestissimas curas pręferendas putet? qui corpus, quod omnibus animantibus commune est, quàm mentem, atque animum, quo vno homines à bestijs maximè differunt, exercere malit? qui animi ipsius bona, quę hac ratione comparantur, non pluris faciat, quã omnes diuitias, atq; opes, quę corporum sunt potiùs, quã animorum ornamenta? Quamuis si vtilita-

Ab vtili. litatis habetur ratio, vt priuata relinquamus commoda, quæ doctos viros, atque sapientes consequuntur, quid est, quod in commune bonum plus afferat, quod plus valeat ad tuẽdam Rempu. & conseruandã, quàm illæ artes, ac disciplinæ, quibus ad omnem honestatem erudiuntur ciues, in officioque continentur, ac praui in Republica mores corriguntur. An parum in sapientibus hominibus esse præsidij existimamus, vt & vniuersum imperium, & singulæ ciuitates tranquillo otio paceq; fruãtur? Ecquid cogitauerũt maiores nostri, cũ litterarios ludos publicè aperiri voluerunt, celeberrimas academias fundarunt, certa præceptoribus stipendia in annos singulos eo nomine decreuerunt, vt omnibus honestis disciplinis, atque artibus iuuentutem imbuerent? Nonne illud sapienter viderunt? qua ratione immanes quondam

quondam homines ad humanitatem traducti essent, eadē omnino eosdē esse in humanitate retinendos? Nam primò dispersos per agros homines, atque vagos sine vllis legibus, & institutis politioris vitæ, barbaros potiùs, ac feros bene cordati viri, atque sapientes doctrina mansuefactos in certa loca compulerunt, eosq; & cō muniter viuere, & ciuitates constituere, & stabilire Resp. docuerunt. Quid igitur veriùs dici potest, quàm esse quidē sapientes viros fundamēta Reip. sine quib⁹ illa aut cōseruari, aut stare diutiùs minimè posset: & queādmodū in humanis corporib⁹ si neruos incidas, solutis mēbris, atque disiectis, ipsa cōcidāt corpora necesse est, ita sublatis è Rep. legib⁹ pręclarisq; institutis, & morib⁹, q ei⁹ quasi nerui sūt, atq; robora, ipsa subitò oc casurā, esse Rēp. Ergo quāti interest, Res ipsas publicas incolumes con-

seruari, tanti profectò refert, ne vnquam ab istis sapientes desint, quorum consilio gubernentur, quorum sapientia praui mores tollantur, honesti conseruētur. Hoc verò tā prȩclarum Reipub. decus, & ornamentum in quo ipsius Reipub. incolumitas, salusque consistit, quàm facili negotio retineri potest? Ego enim sic existimo, multo faciliùs magnam sapientium hominum copiam in Republica, quàm artificum in quacunque arte, vel in omnibus simul artibus cōparari posse: si prȩsertim quæ sapientiæ debetur laus, atque præmium sapientibus viris ab ipsis Reipub. moderatoribus & prȩponātur, & deferatur. Si enim nihil homines aut studiosiùs aggrediuntur, aut faciliùs obtinent, quàm quȩ sunt cum ipsorum natura coniuncta, cùm sciēdi cupiditas tam sit humanis mentibus insita, si gloriȩ atque prȩmij stimulus

A facili.

ſtimulus adoleſcẽtibus accedat, quã multos, & quàm longè putamus in ſtudiorum curſu proceſſuros? Itaq; quod alijs rebus ferè contingit, vt quò prçclariores, atque excellentiores ſunt, eò plus laboris, ac difficultatis habeant, hoc huic omnium præſtantiſsimæ contra euenit, quæ quicquid difficultatis habet, rerum cognoſcendarum hominum animis innata cupiditas facilè vincit, ac ſuperat. Quis igitur ille eſt tam auerſus à vero, qui litterarũ ſtudioſos homines tanquam otioſos in Rep. ac deſides reprehendat? quis eidem Reip. tam infeſtus hoſtis, qui quibus eadem & maximè honeſtatur, & continetur, eos vt parum vtiles negligendos, ac contemnendos putet? Quòd ſi quis ea mente eſt, vt litterarum ſtudia parum neceſſaria exiſtimet, proponat ſibi Remp. ſapientibus viris deſtitutam, eius formam ſubitò commu- À neceſſario.

tatam contempletur: fingat animo, quæ sine ipsius Reip. interitu accide re minimè possunt: iuuenes ab academijs euocari, magistrorum stipendia in ciuiles vsus, atque sumptus impendi: Musis silētium indici, claudi gymnasia, atque etiam, si placet, disturbari, & adæquari solo: sapientes viros nullo pretio haberi, non audiri, non vrbibus præfici: Quid tum? nonne, nisi cæcus planè animo est, apertè cernet, clausa illa via Reipublicæ bene gerendæ, atque in eam præclaros, atque honestos inducendi mores latrocinijs, parricidijs, proditionibus, ciuilibus discordijs, vitijs deniq; omnibus, ac maleficijs complures vias aperiri? Videat nunc igitur vtrum præclaram Rempublicam, an nullam habere; aut, quod est multò deterius, flagitiosissimam malit. Quis enim dubitare potest, si nulli sint magistri morum, nulli moderatores

deratores iuuentutis, qui prauas eorum libidines coerceant, & effrenatis cupiditatibus frænos iniiciant, breui tempore ijs omnibus vitijs inquinandam, ac deformandam esse Rempublicam. At non omnes, inquis, qui præclarè, honesteque vixerunt, huic se litterarum studio penitus dediderunt. Quasi verò omnes ego omnium generum ciues litteratissimos esse velim; neminem, qui res domesticas, qui agrorum culturam, qui pecudum pastus curet, qui arma denique tractet, relinquēdum putem. Illud potiùs contendo, ideo plurimos esse in Republica sapiētes, oportere, vt ad rudiores homines, quorū infinitus est numerus, eorum doctrina perueniat; vt quam virtutis, & honestatis cognitionē per se ipsi nō possint, sapientū beneficio, quod sæpe cōtingit cōsequantur. Quæ cùm ita sint, mihi quidem

Obiectio. Solutio. Epilogus.

quidem videntur & naturę ipsi, & communi bono aduersari, qui adolescentes ineptijs quibusdā aut auocant ab studijs, aut sapientiæ amore incitatos in medio cursu retardant, dum ea studia mollium, atque otiosorum hominum esse dicunt, & nihil magnum, atque virile cogitantiū. Cū reuera nihil sit homine dignius, nihil præclaris ingenijs expetendū magis, nihil cum humana ipsa natura coniunctius; nihil quod æquè Rē ipsam pub. nobilitet, maioresq́ue ei in omni genere vtilitates afferat. Quod quidem viderunt maiores nostri, cùm ita sentirent; tum maximè augeri posse res & publicas, & priuatas, cùm sapientum virorum consilio, & auctoritate omnia gubernarentur. Ne igitur per Deum immortalem plus apud nos stultitia hominum, qui tam humiliter de animorū dignitate sentiunt, quàm prudētum

 virorum

virorum sapientia valeat, atque consilium, qui experientia ipsi docti magnum esse in litteris, atque doctrina præsidium ad bene honesteque viuendum prædicant; & nos ad tã præclarum studium, tam honestum, tam vtile vniuersæ Reipub. amplectendum hortantur.

Legislationis tractandæ exemplum.

Princeps solutus est legibts.

Legis refutatio.

Argumentum.

IN exordio reprehẽdi potest legislatoris imprudentia qui nõ viaerit, quam fuerit iniusta lex.

A contrario. Si ligatus fuerit princeps, & cautius leges decernet, & eadem leges diligentius seruabuntur à ciuibus.

A legitimo. Eccle. 32. Rectorem te posuerunt; noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis.

A iusto. Aequum est, vt quod princeps

ex iniustitia decreuerit, id ipse seruet, ne iniquus esse videatur, qui quod sentiat æquum esse, atque aliis imperet, ipse negligat.

Ab vtili. *Sic Respub. multò meliùs gubernabitur, cùm principis exemplo leges seruentur diligentiùs.*

A possibili. *Multò erit facilius principi leges seruare, cui si adsit voluntas, potestas deesse non potest.*

Epilogo concluditur id, quod propositum est. *Iniquam esse legem.*

Idem argumentum amplificatum.

Mirari satis nō possum Vlpianū illū iuris peritissimū, qui cū in cōdendis legibus admirabili sapiētia fuerit, in ea decernēda, quæ grauissima est, tanta sit imprudentia lapsus, vt principem iis legibus solutum cōstituerit, quas idē Reip. imposuisset. Nisi verò non tam illa imprudentia fuit, quàm calliditas veterata, qua principum fortasse beneuolentiam aucupari

aucupari voluit, dum eos legum laqueis, atque vinculis solueret. Quid enim, nisi hæc vna ratio, eius animum obcæcare potuit, quò minus videret, quanta ex tam iniqua lege consequantur incommoda: quanti verò Reipub. intersit, & principem ipsum, & ciues iisdem legibus con tineri? Hæc enim mihi videtur vna ratio, quæ principum in condendis legibus temeritatem coercere, & easdem leges, vtiles, ac salutares Reipub. firmare, ac roborare facilè possit. Qui enim apud se ita constituerit, quicquid suis ciuibus præscripserit, id à se quoque sibi decerni, non ille quidem ex libidine, non ex cupiditate, non ex odio, aut maleuolentia leges decernet, neque solùm quid oneris cæteris velit imponere, sed quid ipse etiam sustinere possit, considerabit. Contra verò si princeps solutus legibus sit, po A contraria.

sitque suo arbitratu viuere, grauioribus certè leuissima sæpe de causa suos ciues legibus premet; eritque in eis constituendis multò seuerior, atque interdum etiam immanior. Leges verò ipsæ eò negligentiùs seruabuntur à ciuibus quò magis eas à suo principe negligi viderint; nihilque feret iniquiùs, quàm durissimo legum iugo opprimi se ab eo, qui è suis illud ceruicib⁹ depulerit. Quare summus ille legislator Deus Rerũ publicarum moderatores pari cum suis ciuibus iure esse debere nõ obscurè docet; eosque monet, ita quidem existiment non se excelso loco constitutos ad miseros homines suis imperijs, ac legibus opprimendos; sed vt clarissimum lumen, quo virtutis, & honestatis via cæteris illustrior appareat, atque facilior. Eccl. 32. Rectorem te posuerunt, inquit, per sapientem, noli extolli, esto in illis

quasi

quasi vnus ex ipsis. Quid hoc est? quid hæc diuina lex præcipit? Num inter sceleratos, ac flagitiosos ciues flagitiosum quoque Regem? nũ inter immanes ferum? inter impios religionis contemptorem esse debere? Immo verò ne ciues tales existant, eum quasi vnum ex illis esse iubet; vt quàm honestos, quã pios, quàm religiosos suis eos legib⁹ esse velit, talem se in illis custodiendis, ac seruandis exhibeat. Iamverò quã æquum sit, bonum principem ita se gerere, vt suorum ciuium leges suas esse putet, ijsque se vt cæteros constringi gaudeat, ipsa legum æquitas docet. Nam si iniquæ quidem sunt, non eæ leges, sed libidines principis, flagitiosaque decreta existimari debent: si verò ex vna iustitia, & æquitate constituantur, quẽ æquiotem, ac iustiorem in suaRepub. malle, quàm se ipsum debet? Iniqui verò A iusto.

principis quî poterit nomen effuge re, si quas leges populo iustissimas, sanctissimasque imponat, eas ipse passim perrumpat, ac frangat. Quòd si lex nihil est aliud, nisi mutus Princeps; qua scilicet tacentis principis voluntas ostenditur: eaque tantam vim habet, vt qui eam læserit, ipsum eius latorem læsisse dicatur; Princeps ipse, qui loquens quædam lex est, quantò maiorem vim habere debet; cùm idem nō iam alienis verbis, sed suis factis suam explicet volunta tem? Quo igitur animo patietur, ita de se existimari: vt ciues a suo principe æquissimas leges sanciri prædicent, eundem verò iniquum, & ipsarum legum contemptorem con querantur. Non, inquis, sed cùm ille decernat quæ ad præclaram Reip. administrationem sibi pertinere videantur, cæteros pro sua facultate, atque potentia alligari vult legibus;

sibi

sibi vt eorũ domino liberas esse viuendi voluntates. Quomodo iã igitur reprehensionem illam fugiat, quã summus ille princeps eiusmodi legislatores insectatur, qui imponũt alijs onera grauia, ea verò ipsi ne digito quidem mouere voluût? Quomodo non tyranni potiùs, quàm boni principis nomen obtinebit? Quomodo sibi populi beneuolentiam conciliabit, quæ vna principis ęquitate, atque humanitate maximè continetur? Qui ergo suam velit Remp. in pace, in ciuium amore erga se, & charitate gubernare, leges à se constitutas apud suos ciues maximam vim habere, eisdem gratas esse, ab illis diligenter seruari, ostendat illas à se plurimi fieri, non verbis solùm, atque pœnarum metu, quod satis nõ est, sed multò magis exẽplo: vt qui primus eorum æquitatẽ vidit, is primus quoque ęquitatis retinẽdę cau- Ab vtili.

sa ijsdē se velit astringi. Quòd si prę-
clara nobiliū exēpla tātū apud mul-
titudinem valent, vt eam in officio
continere posſint, quātò plus apud
eandem ipsius principis valebit exē-
plum? Sapientiſsimè enim dictū est.
Eccl. 10. Secundum iudicem populi, sic &
ministri eius, & qualis rector est ciui-
tatis, tales & inhabitātes in ea. Quid
verò si sua ille decreta negligat? si
suas ipse leges facilè violet? Quales
tādem principis exemplo ciues exi-
stent? Quid? suas ab alienis fortunis
manus cōtinebunt ciues, si suo prin-
cipi videant communes omnium for-
tunas gratiſsimam eſſe prædam? Sibi
illi in sumptibus modum statuent, si
suum principem cognouerint regiū
patrimonium per summum luxum
profundere, ac perdere. Iniuriam illi
alijs inferre verebuntur, si cernant
regiam potentiam in faciendis cædi-
bus ostentari? Suæ illi pudicitiæ con-
sulent,

sulent, si sciant suum Regem alienā sine vllo discrimine spoliare? Res ipsa profectò loquitur, ex principis vita, atque moribus ipsum Reip. statū maxima ex parte pendere: qui tum quidem erit felicissimus, cùm leges, quibus illa continetur non minùs diligenter ab ipso principe, quàm à ciuibus obseruentur. Quod quidem eò studiosiùs præstare principes, atque Reges debent, quò magis patet eorum potentia: quibus si voluntas non desit, facultas certè deesse non potest. Nam tenuiores quidem, ac miseri homines, minùs sæpe quæ maximè volunt, præstare queunt, & tamen ad seruandas leges quacunque ratione impelluntur. Regem verò quis impediat, quò minùs quicquid velit efficiat, cùm & vnus in sua Rep. potentia sit, & non modò suæ, sed aliorum etiam voluntatum moderator? Quæ cum ita sint, sapientiùs pro fecto A facile. Epilogus.

fectò Vlpianus statuisset quod dignissimum est principis dignitate, quod cum ipsa iustitia, & æquitate coniunctum, quod vtile Reipub. ac salutare; vt quibus legibus ciues, iisdem quoque eorum princeps teneretur, ne qui alijs leges præscriberet, ipse quasi barbarus sine legibus viuere videretur.

❧



Index Capitum, quæ sunt in libro de conscribendis Epistolis.

Index Capitum, quæ sunt in libro Progymnasmatum.

Errata.

IN proœmio ver. 19. quam, leg. quàm si. ver. 21. exerceat, l. exerceant. fol. 2. ver. 12. hæc, l. hæ. fol. 3. ver. 12. coucinnatam, l. concinnitatem fol. 11. ver. 14. deprecabimus, l. deprecabimur. fol. 13. ver. 22. laudabilis, l. laudabis. fol. 19. ver. 22. commonendum, l. commouendum. fol. 21. ver. 3. attingant, l. attingat. fol. 41. ver. 10. iocerent, l. iacerent. fol. 43. ver. 3. ergo, l. erga fol. 59. ver. 25. fateatur, l. fatetur. fol. 63. ver. 9. fodoribus, l. sudoribus. fol. 71. ver. 1. monuta, l. monumenta fol. 75. ver. 1. eiusdem, l. eiusmod. fol. 76. ver. 46. mitiores, l. minores fol. 80. ver. 31. quidem, l. quidam fol. 81. ver. 2. confirmatio, l. conformatio. fol. 89. ver. 27. abhorrenctem, l. abhorrentem. ver. 29. volupaati, l. voluptati fol. 91. ver. 11. exercitandos, l. excitandos fol. 102. ver. 42. tibi, l. ibi. fol. 103. ver. 7. esp sitio, l. expositio fol. 108. restituta, l. restituta. fol. 151. carneret, l. cerneret.